871
C93.Yb
LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF ILLINOIS
16 S '14

DE CYPRIANI
QUAE FERUNTUR METRIS IN HEPTATEUCHUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM MARPURGENSIUM ORDINI
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

PROPOSUIT

HERMANNUS BEST
BRETZENHEIMENSIS.

MARPURGI CATTORUM.
TYPIS FRIEDERICI TYPOGRAPHI ACADEMICI.
MDCCCLXXXXI.

871
C93.Yb Classics

THEODORO BIRT

SACRVM.

Digitized by the Internet Archive
in 2017 with funding from
University of Illinois Urbana-Champaign Alternates

https://archive.org/details/decyprianiquaefe00best

Tractanti mihi Iuvenci genus dicendi occurrerunt carmina in genesin[1]), in exodum, in Iosue et selecta ceterorum pentateuchi librorum fragmenta[2]) in editionibus Iuvenco ascripta. hanc de auctore quaestionem adhuc non sufficienter tractatam instituere coepi. ac primum quidem editorum socordia coactus textus statum corruptissimum sanare studui, quantum fieri potuit, apparatu critico qui dicitur aut nullo aut parco tantum exstante. deinde de condicione quae intercedat inter Iuvencum et auctorem incertum inquisivi. ac iam re prosodiaca obiter tantum perlustrata persuasum habui Iuvenco nullo modo hos depravatae artis versus esse attribuendos. dum in hac quaestione moror me non praeteriit tractationis quaedam diversitas quae est inter carmen in genesin et inter carmina a Pitra exarata. magis magisque ad eam sententiam inclinavi carmina illa suppositicia non ab uno eodemque auctore esse scripta. mox causas satis graves, quae hanc sententiam valde augebant, apparuisse iuvabat: primum imitationes aliorum poetarum, tum diversitatem versionis sacri textus adhibitae, quae praeterea ad patriam et aetatem carminum definiendam valebant. iam in eo erat ut eorum quae inveni summam facerem cum nova editio Pseudoiuvenci praesto erat a Peipero ex auctoritate codicum Laudunensium A et B, Cantabrigensis C, Parisini G curata[3]). fieri non potuit quin ea quae hic vir doctus praebebat in usum nostrum transferremus, unde non pauca nos ad tractationem adiumenta percepturos esse sperabamus. nam ut alia

---

1) Migne: Patrolog. lat. tom. XIX. pag. 346—379.

2) Pitra: Specileg. Solesmens. tom. I. 171—258.

3) R. Peiper: Cypriani Galli poetae heptateuchos. in corp. script. eccl. lat. vol. XXIII. Vindobonae MDCCCLXXXXI.

missa faciamus, si quid certi de re metrica contendere volebamus prae ceteris textu emendato opus erat. ac spes nos non fefellit. Peiper iam non demonstrandum putat carmina Iuvenco non esse attribuenda, sed ex codicis A auctoritate omnia Cypriano Gallico quinti saeculi poetae ascribit. quod utrum recte factum sit necne postea videamus. deinde Peiperi editione certior factus sum de opusculo quod rem mihi propositam iam ante hoc tempus tractavit. de carminibus enim optime nuper meruit Carolus Becker dissertatione diligentissima et doctissima quam anno 1889 Bonnae conscripsit ‚de metris in heptateuchum'. duas res gravissimas recte mihi statuisse videtur, primum plurima carmina in Gallia esse confecta deinde quinti saeculi parte priore ea esse composita. unum vero auctorem carmina conscripsisse persuadere mihi non possum, praesertim cum hoc cum quaestionibus meis non congruat quae duos scriptores esse statuendos plane atque aperte demonstrant. Peiperus in patriae et temporis definitione omnino cum Beckero facit.

non sine gaudio meo accidit ut permultae textus emendationes, quas ipse inveneram, cum iis quae Peiperus vel ex codicibus exaravit vel ipse proposuit consentirent. singula hic afferre omitto, ne res satis apertas iterum repetere et retractare videar. de paucis locis ubi a Peiperi textu discrepare nos vidimus quaedam addamus. praemonendum est scriptorem libri in genesin non solum addidisse quae non exstant in sacro textu verum etiam semel quidem res ipsas quas versio latina recte exhibebat perverse tradidisse. sic dicit de Caino:

v. 163 *mortemque a numine poscit.*

Cainus vero secundum versiones Italam et Volgatam mortem timuisse narratur. nec minus quae narrantur de filiis Noe:

v. 226 *innumerum solitos mollitum tundere ferrum*
et scintillantes promptim procudere massas,

nusquam leguntur. perversa exstant v. 107:

coniugium iunxere sibi: Lod foedere Melchae
gaudet et Abramus ditescit coniuge Sarra.

antiqua versio sic legit: ‚et sumpserunt Abram et Nachor sibi uxores. nomen mulieris Abram Sara, nomen mulieris Nachor Melcha filia Aram'.

ex locis qui huic adiungendi esse videntur duobus, alterum Peiperus correxit:

v. 694 *mentitus nihilum: patris nam germine creta*
Sarra fuit . . . (codices *fratris.*)

alterum sic legit:

v. 1471 *sed mirum! palma sacratur dextra Manasses,*
anterior natu laeva contingitur Ephrem.

haud recte Peiperum interpunxisse puto. nam sicut biblia sacra tradunt non Ephrem sed Manasses maior erat natu, id quod poeta ipse recte exhibet v. 1297:

dicitur anterior natu Manasses iunior Ephrem.

ergo post *anterior natu* interpungendum est. sed quod poeta affert dextra manu Manassem esse sacratum, laeva Ephrem, non cum sacro textu quadrat. Ambrosius habet: ‚extendens autem Israel manum dexteram imposuit super caput Ephraem, qui erat iunior, et sinistram suam posuit super Manassen'. similiter Augustinus: ‚et benedixit nepotes suos Israel ut dexteram manum minori imponat maiori autem sinistram'. locus certe sic restituendus est immutatis illis, *dextra* et *leava*:

sed mirum, palma sacratur laeva Manasses
anterior natu, dextra contingitur Ephrem[1]).

v. 550 *et celer Euphratis Syrorum praenatat urbes.*

Peiperus legit *orbes.* codices A et C *urbes.* in codice G a a manu priore *orbis*, a manu poster. correctum *orbes.* equidem censeo scriptionem cod. A servandam esse, praesertim cum meliorem sensum praebeat quam codicis G scripturam.

v. 1234 *ast alium celeri iam pridem defore leto.*

Peiperus *celebri.* sed codex A *celeri* G *celebri.* lectionem

1) Birtius hunc locum legit:
sed mirum palma sacratur dextra (Manasses
anterior natu laeva contingitur) Ephrem,
ita ut illud *Manasses* usque ad *laeva contingitur* per parenthesin scriptum sit.

celeri praeferendam puto. voculae *celeri* eadem significatio vindicanda est, quam aliter praebet *praematurus* id quod hoc loco optime cum contextu congruit.

alios quosdam locos adnotabimus in parte opusculi altera de arte metrica poetarum.

una cum heptateucho Peiperus carmina quaedam edidit, quae in codicibus Cypriano ascribuntur de Sodoma, de Iona propheta, carmen Cypriani ad quendam senatorem. carmina priora incerto auctori attribuit, cum codex Parisinus Tertulliani nomen prae se ferat. heptateucho et arte versuum pangendorum et universa indole poetica longe praeferenda sunt. uni atque eodem auctori ea esse tribuenda iam pridem a L. Mueller demonstratum est artis metricae consensu et argumentorum similitudine. ad illum relegasse satis erit[1]).

carmen ad senatorem editor iterum incerti auctoris esse vult. prioris tamen aliquanto aetatis quam heptateuchum neque Gallicae originis esse credit[2]). hoc mihi constat neque Cyprianum genesis poetam neque ceterorum librorum versificatorem neque auctorem de Sodoma et de Iona carmen ad senatorem confecisse. at cui attribuam? metri ratio poetam satis bonum certe indicat. carmen ipsum simplici arte poetica ac disciplina scriptum est caesura penthemimeri ubique fere admissa, tribus tantum locis v. 46. 78. 84. incisione hephthemimeri cum trithemimeri coniuncta exstante. hiatus bis usurpatus est:

33. *hāec tŭă | hūmĭlĭtas*

36. *te dixisse dea⁀erravī | ĭgnosce redivi.*

neque de re prosodiaca multa sunt monenda. falsam prosodiam adhibuit in his: *phĭlosophum* 48 (sub vi primae elationis), *vĕlis* 79 (post incisionem trithemimerem); sub vi caesurae semiquinariae producuntur finales breves bis:

63. *saperê stultum*

81. *incautûs iterum.*

---

1) cf. Lucian Mueller: Zu Tertullians Gedichten de Sodoma und de Iona. Mus. Rhen. N. F. XXII.

2) cf. Peiper, pag. XXVIII.

omnes tres codices qui carmen tradunt sancti Cypriani episcopi et martyris Christi nomen prae se ferunt. fidem eis tribuendam non esse censeo. primum hic notandum est Cyprianum patrem ecclesiasticum librum composuisse ‚de idolorum vanitate' inscriptum. cum nostrum carmen eandem materiam tractet, mirum non esse arbitror quem ad modum factum sit, ut librarius patris ecclesiastici librum in manibus se habere putaverit. fortasse accessit ad hanc coniecturam augendam epistulae forma, quam poema nostrum exhibet. Cyprianus enim ille permultas similis argumenti epistulas conscripsit. ideo ad incertum nostram epistulam referendam esse censeo. de aetate scriptoris certa proponere non licet.

sed redeamus ad propositum. utrumque — et Beckerum et Peiperum [1]) — pauca verba facere de condicione, quae intercedat inter Iuvencum et inter carmina in heptateuchum mirum non est. sed etsi dubitari non licet ubi de scriptore quaeritur de Iuvenco non esse cogitandum, tamen operae pretium esse putamus singularia quaedam quae de historia evangelica et de libro in genesin observavimus ceteris quaestionibus praemittere. deinceps igitur rem sic instituemus ut primum afferamus observationes de Iuvenci arte metrica et genere dicendi, deinde de re metrica heptateuchi agamus. tum de ea re disputabimus, num recte Cypriano omnia carmina sint ascripta, quae omnium est amplissima quaestio. postremo de patria et aetate auctorum disseremus.

---

1) cf. Beckerus l. c. pag. 41—43. Peiperus in prooemii pag. XXIII.

I.

De Iuvenco.

Duos tantum codices aliquid de auctoris nomine librorum titulis addidisse videmus. alter codex Laudunensis (A) Cyprianum scriptorem libri in genesin esse vult, alter codex Parisinus (G) Iuvencum exhibet. Pitra qui ex codicibus Laudunensibus (A et B) heptateuchum primus edidit Cypriani nomine temere deleto Iuvenci nomen ascripsit ac summopere id probare vult indubia haec esse carmina presbyteri Hispani. vestigia eius pressit Gams in libro suo qui inscribitur ‚Kirchengeschichte Spaniens'. quam perversa haec opinio sit facile est intellegere. haud ita multorum locorum consensu vel similitudine permoti, iisdem rarioribus vocibus, imprimis vulgaris sermonis verbis utrobique exstantibus decepti, temere sibi persuadebant, sine dubio se tractare versus Iuvenci. quamquam non neglexerunt artis metricae discrimen. sed quam ridicule hoc argumentum ad ipsorum sententiam corroborandam transferre studuerunt dicentes Iuliani imperatoris tempore poetam ad heptateuchum conficiendum accessisse, cum Christiani lege lata a poetarum veterum usu prohibiti essent. quare factum esse, ut in heptateucho minor quam in historia evangelica appareret ars metrica. accuratius in rem ipsam inquirere longum iis videbatur. at vero ne diligentius quidem instituta quaestione luce solis clarius esse debebat Iuvenco illos versus prorsus non esse ascribendos. nam praeter similitudinem materiae nihil commune est neque eadem tractatio et indoles neque eadem rei metricae ratio neque eadem generis dicendi species.

quantopere in tribus his rebus historia evangelica et liber in genesin sint diversa diligentius perspiciamus.

notum est peculiarem quandam Iuvenci [1]) esse proprietatem miram illam et paene incredibilem diligentiam, qua sacrae scripturae fidus interpres verbum verbo exhibeat, ut veterum versionum latinarum textus non minus in illius carmine quam in soluta ceterorum patrum oratione referatur. haec diligentia et proprietas Iuvenci in libro in genesin omnino desideratur. Cyprianus res gestas quas biblia sacra commemorant, minuta quadam subtilitate brevissime deinceps evolvit. atque cum ipsius ingenii rationem non haberet totum fere carmen fabricali quadam versificatione compositum est. tantum abest ut hoc opus speciem carminis simplicis et unius praebeat, ut nobis vix nomine carminis dignum esse videatur.

de re metrica ut agamus Iuvencus tamquam exemplar boni poetae apparet. exempla illegitimae illius productionis sub vi ictus et caesurae, quam Cyprianus toties usurpavit, in historia evangelica inveniuntur haec:

a) productio sub vi caesurae semiquinariae:
  pr. 25 *sanctificûs adsit*; pr. 27 *Iordanîs ut.*

b) ante *st sp pr scr pl* sub vi ictus:
  I 112 *consulerê scriptoque*; I 315 *instruitê stratas*;
  III 248 *quinquê plebis*; IV 53 *aspicitê scribas*;
  IV 225 *ipsê sponsus*; IV 584 *verâ praesagia.*

c) ante litteram *h*:
  I 301 *natum͡ înhabitare necesse est*;
  IV 558 *prolîs hominis* [2]).

conferantur ea quae de libro in genesin congessimus pag. 22 sq.

regulas prosodiacas in universum a Iuvenco satis observatas invenimus. pauca tantum monenda sunt. contra bonorum poetarum usum

---

1) ediderunt C. Marold, Lipsiae 1886 in off. Teubneri, et Huemer in corp. script. eccles. latin. vol. XXIV. Vindobonae MDCCCLXXXXI.

2) exemplum quod Maroldius affert in indicis pag. 114 col. 2. *Iohannêm hunc* I 26 emendationis indigere ratus Birtius *Iohannen hunc* scribit. optimo sane iure. nam cum deletur hiatus, tum exempla huius accusativi graeci a Iuvenco aliena non sunt. vide I 451: *Iordanen* — IV 624 *Barabban.*

LIBRARY
UNIVERSITY OF ILLINOIS

I. produxit:

initio versus: *prôfessi* II 349 — *prôfugite* II 471 — *ân* III 326. IV 528 — *Quîrinus* I 147.

ceteris metri locis: *prôfanent* II 576 — *lâbat* II 435. III 373. IV 500 (sed recte *lăbare* III 135).[1])

II. corripuit[2]):

adŏlatio I 702 (pro volgato *adūlatio* positum) — *clămor* III 646. 648. IV 391, semper quinto versus pede, ceteris locis recte velut I 310. III 639 — *măcerans* II 385 — *făcundia* IV 595 — *lŭdibrium* IV 643, sed *lūdibrium* IV 650 — *ibĭdem* II 602. III 80 — *lătratus* IV 14, sed salva re prosodiaca *circumlātro* IV 535[3]).

syllabarum finalium quam maxime rationem habuit Iuvencus. semel corripuit *us* finalem quae est in accusativo quartae declinationis:

IV 585 . . *ploratŭs habebat amaros.*

saepius imminuitur *o* finalis in gerundii ablativo ac semper in quinto hexametri pede:

I 93 *dignandŏ loquetur,* 491 *audendŏ docebit,*
582 *ducendŏ fatigant,* II 586 *temptandŏ dolosis,*
721 *glomerandŏ furores,* 797 *insidiandŏ sopori,*
III 20 *insinuandŏ docebat,* IV 282 *miserandŏ labores.*

ceteris metri locis *o* producta exstat. talis usus exempla in libro in genesin non exstant. contra aliarum syllabarum lon-

---

1) praeterea apud Maroldium loco citato leguntur *lēpra* I 774, *mētris* II 140, *lātro* IV 601. 610. 612. 667. sed perverse; nam sola productio brevis vocalis in his exemplis non exstat, sed positione syllabae auctae sunt. tum neque *ōbex* neque *duō* hic adnotandum est. *obex* = *obiex*, *duo* = δύω. Iuvencus principalem quantitatem observavit.

2) foedo errore Maroldius l. c. vocem *rĕpens* I 744 contra rem prosodiacam correpta prima legi adnotat. non derivandum est hoc participium a verbo quod est *rēpo* (graece ἕρπω) sed cohaeret cum graeco ῥέπω. eandem significationem atque *repentinus* praebet, quale exstat apud Livium XXII 8 *repens alia nuntiatur clades*, XXII 7 *quae repens clades allata esset.* Ov. Fast. I 96 *Ianus repens obtulit.*

3) consulto *conŭbium* non affero, quod eadem prosodia apud omnes fere poetas legitur.

garum correptio saepissime in illo legitur. singula afferre hic supersedeo, in pag. 21 seq. ubi omnia congessi lectorem relego.

nec minor diversitas inter historiam evangelicam et librum in genesin in perlustrando genere dicendi apparet. ac primum quidem videamus quem admodum uterque poeta linguam latinam ditaverit. omnibus enim temporibus poetis licentia erat satis magna verborum faciendorum ubi se linguae latinae copia destitutos viderunt. eaque licentia christiani praesertim auctores usi sunt. nostri quoque nova protulerunt sed ita ut ingenium varium cognosci debeat.

en vocabula a Iuvenco novata:

I. substantiva:

strata, ae I 290. 315. II 535. III 462. 636. 655.
spongus, i IV 694 (Volg. et Itala *spongia*, gr. *σπόγγος*).
pecusculum II 589.
perspector II 274.
completor II 568.
defletio IV 121. 154.
miseramen IV 289.
sinuamen I 87. III 56.

II. adiectiva:

altithronus pr. 24. II 62. III 409.
decuplatus III 436.
praeblandus I 702.
praefulgidus III 330.
praegratus I 604.
praesolidus I 422.
praestupidus IV 199.
flammivomus pr. 23.
ignicolorus IV 155. 559.
praepulcher I 427. II 139.
praemitis III 635.
auricolor I 356.
flammicomans IV 201.
flammipes II 546.
glaucicomans III 623.

III. verba:

circumcomplecti IV 82.
correptare II 191.
superincrepitare II 161.
transvolvere III 378 (Prud. Cath. XI 30).
calvare IV 302.

IV. adverbia:

silenter III 640.
labenter IV 468.
mensatim III 214.
secretim III 420 (Huemer in editione sua hoc loco exhibet *secretum*).

insequuntur vocabula a Cypriano ficta:

fraudiger 114.
celsiiugus 291.
lentigradus 1064.
scatebrosus 843.
procubus 704.
promptim 98. 227. 944.

mire accidit ut in libro in genesin ne unum quidem exstet vocabulum a Iuvenco novatum. diversus licentiae illius usus, qualis in carminibus apparet, certe non ad unum eundem auctorem referendus est.

non praetereundum esse puto Iuvencum magis quam auctorem geneseos vetustae q. d. dictionis indulgere. obiter afferam talia, in quibus tamen nonnulla potius ad vulgarem, quam ad vetustam dictionem rettuleris:

duellum = *bellum* II 620.
perpes = *perpetuus* II 508. III 510.
duum = *duorum* III 431.
reclaudere = *recludere* I 593.
(*contempnere* = *contemnere* IV 191.)
mergier = *mergi* I 349.
sonarit = *sonuerit* IV 569.
praeteriet = *praeteribit* IV 159 [1]).

---

1) praeterea hanc formam admiserunt ex classicis Tibullus I 4. 27 *transiet*, Seneca ep. 17. 7 *exiet*, benef. II 12 *iniet*, nat. quaest. III 10. 3

vulgum (acc. sing.) IV 611.
siet = *sit* II 40 (Huemer legit *sibi et*).
fuat = *sit* IV 163.
satias = *satietas* I 637.
plebes = *plebs* saepissime; duobus tantum locis certe legitur *plebs* I 13. IV 614.
perminimus III 583.
iuturus I 58.
hauriturus II 251.
redimibit IV 189.
vestibat III 331.
scibam IV 241.
quaesunt I 249.

ex libro in genesin haec notanda sunt:
mandier = *mandi* 1303.
munibat 294.
faxunt 342.
sanguem = *sanguinem* 695.
mercem = *mercedem* 989.
abivit = *abiit* 979[1]).

ut cetera omittamus, de duobus vetustatis documentis pauca verba faciamus. cum optimi auctores formas quae sunt *iter* et *itiner* sic distinguerent ut illud nominativo hoc ceteris casibus omnibus obtineret, Iuvencus plerumque hanc normam invertit:
nom. sing. *itiner* II 23. 433. IV 71.
gen. sing. *iteris* I 243. 290. 318. 557. II 184. IV 766.

liber in genesin huius usus exempla non praebet. maioris momenti est hoc. Iuvencus bis habet *ecce iteris medio* I 243. IV 766. scriptor geneseos hoc hemistichium mutuatus legit *ecce viae medio* 1011. exspectabas vero Iuvencum si utrumque carmen conscripsisset semper eadem vocabula positurum fuisse. sed

---

transiet. saepissime leguntur tales formae apud scriptores ecclesiasticos velut apud Tertullianum adv. Marc. IV 39, de resurr. 37, adv. Iud. III 13.

1) eadem forma legitur in carmine ad senatorem v. 35 *redivi.*

ad alteram proprietatem accedamus. frequentissime exstant apud Iuvencum vetustae pronominis formae *olli* et *ollis*. sic legimus:

dat. sing. *olli* I 27. 399. 423. II 14. 134. 252. 265. III 110. 659. IV 525.

dat. plur. *ollis* II 410. III 677. IV 29.

et quod rarissime fit apud bonos auctores

nom. plur. *olli* II 412. III 703.

in libro in genesin iterum ne semel quidem *olli* vel *ollis* leguntur.

longum est totum utriusque poetae genus dicendi perlustrare et singula quaeque discrimina hic afferre. satis erit singularia quaedam quae et ad constructionem et ad vocum significationem pertinent adnotare, quae pro certo affirmant scriptorem carminis in genesin non esse eundem atque poetam historiae evangelicae.

de raris vocum significationibus ut agamus, saepissime apud Iuvencum occurrit pronomen q. e. *quisque* pro *quisquis* vel *quicunque* positum. sic

I. 715 *quisque meis monitis auresque et facta dicabit*
hunc aequabo viro.

II. 202 *quisque igitur iustae repetit primordia vitae*
hunc similem sancti flatus revirescere certum est.

sed exempla accumulare nolumus. praeterea idem legitur II 619. 621. 776. III 186. 400. 490. 614. IV 179. hic usus latius patens omnino abest a scriptore libri in genesin.

idem efficitur hoc: *mox* pro *ubi primum* Iuvencus quater usurpat. in constructione ipsa discrepantia notanda est. tribus enim locis ab *mox* pendet sicut ab *ubi primum* indicativus perfecti temporis:

I. 383 *mox inferre pedem sensit vis livida Christum*
culmine marmoreo fecit consistere templi.

I. 397 *rursus in abrupti montis consistere celsis*
mox furibunda iugis cernit fallacia Christum
ostendens olli fulgentia regna per orbem:
cernis, ait, . . .

IV 21 . . . *sed maior primus mox vincula nuptae*
sumpsit praeceleri cecidit sub acumine mortis.

in exemplo quod praeterea exstat, futurum exactum legitur sic:

II 816 . . . *at iusti mox incrementa viroris*
sumpserit erecto transcendit vertice cunctas
agrorum fruges . .

hanc structuram Iuvencus ex sacro textu transtulit qui Matth. XIII 32 praebet: *cum autem creverit, maius est omnibus oleribus* et in versione graeca: *ὅταν δὲ αὐξηθῇ μεῖζον τῶν λαχάνων ἐστίν.*

nonnulla addamus de rarioribus constructionibus. gravior diversitas apparet in constructione coniunctionis »postquam«. normae constitutae Iuvencus in his satisfecit:

I 247 *postquam videre*, II 27 *postquam tenuit*, II 397 *postquam perventum est*, IV 92 *postquam videre*, IV 657 *postquam ventum est.*

quater vero indicativus praesentis temporis sequitur:

III 451 *postquam incipit*, IV 398 *postquam cernunt*, IV 611 *postquam incendit*, IV 626 *postquam cernit.*

Cyprianus omnino fere regulam neglexit. recte posuit indicativum perfecti temporis:

32 *postquam vidit*, 261 *postquam despexit*, 357 *postquam cognovit*, 719 *postquam remota est*, 850 *postquam fregit*, 884 *postquam compressa est.*

quinquies exstat indicativus plusquamqerfecti:

197 *postquam complerat*, 472 *postquam fecerat*, 780 *postquam transcenderat*, 1145 *postquam cognoverat*, 1491 *postquam triverat.*

semel etiam indicativus imperfecti usurpatur: 299 *postquam fluitabat.*

unum denique diversitatis documentum addere liceat. pro accusativo cum infinitivo Iuvencus in multis locis posuit coniunctionem *quod* cum verbo finito, ac bis adeo *quoniam.* haec constructio non abest a scriptoribus latinis, maxime apud auctores christianos in quaque fere pagina invenitur. auctor

vero libri in genesin ne unum quidem exemplum exhibet. in historia evangelica leguntur haec:

I 168 *dicam puerum quod cernere vobis iam licet.*
192 *virtus prodiderat, quod . . . videret.*
238 *manifestatur quod maneat.*

praeterea I 300. 505. 731. II 291. 327. 389. III 85. 38. 125. 245. 248. 262. IV 90. 356. 468. 546. 664. 757. »quoniam« positum est:

I 379 *nam memini scriptum quoniam non sola tenebit*
vitam credentis facilis substantia panis;
IV 731 *nunc meminisse decet quoniam planus ille solebat*
vulgari semper iactans promittere plebi.

sed finem faciamus. ex documentis quae protuli cognoscitur optimo iure insulsissimam eorum opinionem nominari, qui librum in genesin et cetera carmina Iuvenco adscripserint.

II.

De arte metrica heptateuchi.

Beckerus quidem de hac re in quaestione sua observationes instituit. sed quae congessit non magni pretii sunt quod textu puro plenoque lectionum apparatu non utebatur et minime exempla ipsa diligenter collegit. sic alia mentione digna omnino omisit, alia mendosa, sicut in editione inveniebat, adscripsit, quamquam iudicio satis prudenti nec sine veri sensu ad rem accessisse videtur. eandem rem accuratius tractare certe operae pretium est. atque cum persuasum habeamus non eundem auctorem et librum in genesin et cetera illa carmina conscripsisse, rem ita instituemus, ut primum librum in genesin perlustremus. de Exodo tum et de Iosue — longum enim est de omnium grandis voluminis carminum arte metrica hic agere — observationes succedent. non pauca afferenda esse quae abhorreant a classicorum poetarum regulis non mirabimur, si temporis rationem habemus. poetae ferreae illius aetatis, quae dicitur, sono vulgari oboediverunt, quantitates vocum neglexerunt et grammatico accentui atque pedestri pronuntiationi carmina accommodaverunt. huic vitio etiam nostri in pangendis versibus satis indulgebant. sed plura de hac re infra collocata sunt. alia quae nobis occurrit proprietas, est hiatus frequentia notis illis de licentia legibus omnino non observatis. exempla afferre omitto, ipsi haec cognoscere licet, si vel paucos carminum versus perlegeris. permagnum hic valet elisionis usus qualis apud nostros apparet, id quod iam Beckerus recte adnotavit. poetae enim sequioris aevi cavebant ne in eodem versu duas elisiones continuas admitterent. alterius loco plerisque exemplis hiatum posuerunt. sic tales exstiterunt versus velut:

gen. 326 *atque memor voti adolet dum⁀alteria flammis.*
183 *quarum prima fuit Ada atque⁀altera Sella.*
ex. 702 *atque⁀alii aliique gradus quos ordine miles.*
nec tamen versus desunt ubi duae elisiones continuae leguntur:
gen. 365 *dumque⁀operi⁀instantes certatim moenia condunt.*
706 *ipse⁀etiam⁀insuetis postrema in tempora votis.*
ex. 323 *ecce⁀iterum⁀insano rigidantur pectora sensu.*
606 *quare⁀agite⁀et primo redeuntis lumine solis.*
ios. 256 *ipse quoque exsultans aususque⁀erumpere⁀in aequum.*

magnum profecto discrimen hunc usum respicientibus constituendum est inter artem metrorum in heptateuchum et inter artem aureae aetatis. etiam maius apparet ex exemplis immutatae genuinae vocum prosodiae. plerumque in huiusmodi locis vis accentus vel caesurae auctoritas valet. hac ratione observata singula afferemus exemplis iis, quae Peiperus in indice editionis praetermisit, stellulae signum adpingentes.

in libro in genesin, quem seorsum a ceteris metris perlustramus, auctor syllabas, quae non ad flexionem pertinent, contra usum urbanum

I. produxit:

1) sub vi accentus:

a) per vim primae elationis:

vîritim 43 — *ôperiens* 133 — *sîmilibus* 343 — *bîtumen* 394 — *quâternaeque* 476 — *quôd* 485 — *côlumbas* 529 — *mâribus* 589 — *fêmine* 1037 — *fûturum* 1408.

b) ceteris metri locis:

altero pede: *hêrilem* 1203, quinto *dâtaque* 1373; post primum ictum productum est *pûdenda* 90 [1]).

---

1) praeterea Peiperus in indice affert exempla productionis spuriae: *platêa* 639, *êoos* 1246, *decôrat* 1451. sed in prioribus exemplis Cyprianus genuinam vocum prosodiam, qualis cernitur in graecis πλατεῖα et ἠῷος (sive ἑῷος), servavit. quod attinet ad istud *decôrat* mihi exploratum non videtur, utrum haec vox derivanda sit a substantivo *decus-ŏris*, an potius a nomine *decor-ōris*. nihil obstat, quin novam hic verbi formam ab hoc vocabulo denominatam constituamus.

2) post caesuram:

a) post semiquinariam.

pauca praemittere liceat, quibus hic usus explicetur. versus heroicus caesura semiquinaria in duos versus dividitur, quorum alter formam paroemiaci prae se fert. hoc modo tertia hexametri thesis paroemiaci anacrusin efficit, quae omnibus temporibus ancipitem mensuram admittere debebat[1]. cuius rei vestigia agnoscenda sunt in exemplis quae sequuntur:

dâturus 224 — (*um*) 934 — *Sŷrorum* 550 — *nêquibant* 670 — *pâterno* 825 — *dêcem* 1118 — *vîritim* 1398 — *scŷphus* 1403.

b) post trithemimeren:

dâtum 1402.

c) post hephthemimeren:

bîtumen 254 — *lîcentia* 504 — *cârentia* 512 — *âcumine* 521 — *mâpalia* 1066 (breviarunt Verg. georg. III 340, Sil. XIII 7. XV 421, Claudian. XV 360. XXIV 344) — *nômismata* 1368 — *câcumine* 1468.

II. corripuit:

praecipue hic afferendae sunt formae trisyllabae, quas in fine hexametri collocatas breviata prima protulit. sic leguntur:

ipsumque lăbentem 111 — *decepta suădellis* 114 — *sub lege lăturus* 498 — *natoque vădentem* 744 — *mersare bălantum* 986 — *pariterque nătarum* 1001 — *stirpe nătorum* 1124 — *perquirit ămissum* 1171 — *turba cărorum* 1444 — *prolique nătorum* 1481.

his adiciendi sunt loci ubi eodem versus loco diphthongus *ae* imminuitur:

colla pra͝ebebit 152 — *vinumque pra͝esentans* 495 — *regis a͝eterni* 517 — *gaudente la͝etantur* 729 — *auctore la͝etantur* 779 — *mente qua͝erebat* 941 — *vina pra͝ebebat* 1262 — *sublimis Ă͝egyptum* 1281.

---

1) cf. Hermann Usener: Altgriechischer Versbau. Bonnae 1887. pag. 100.

ceteris metri locis corripiuntur:

mălum 68 — *fĭat* 6 (*fĭunt* 282, 483) — *azy̆ma* 640 — *iamque pănes* 721 (nisi mavis *iam panes* ex coniectura Arevali) — *sĕmivir* 1172 — *ănulo* 1289 — *pŏculum* 1410 (nisi praeferas *pōclum*. syncopae enim exempla ab auctore nostro aliena non sunt; sic: *saeclis* 295; *maniplos* 1130) — *pra͝esentibus* 266 — *a͝emulum* 436 — *pra͝eter* 1093 — *pra͝eco* 1293 — *coha͝érere* 1388.

adiungendum est *aby̆ssus* 288 in quo exemplo syllaba positione longa corripitur. unum tantum hoc eius modi exemplum poeta sibi concessit.

de syllabis finalibus ut agamus, plurima illegitimae productionis exempla admisit noster, id quod poetae classici non respuerunt quidem, sed rarissime usurpaverunt. in nostro leguntur haec:

a) sub vi caesurae trithemimeris:

coniugibûs hic 182 — *Enochûm is de͡inde* 194 (hoc loco hiatum lego) — *dicuntûr Ariocha* 481 — *Lamechûs hoc* 213 — *Channanûs hinc* 368[1]) — *perdiderât etiam* 562 — *cui Sarrâ sit dicta* 691 — *Hebraeâ gens dicta* 1233. adiungendum est exemplum quod exstat 641: *sopitâque dehinc*[2]).

b) sub vi caesurae penthemimeris:

accipit immensûs errantia 9 — *Prasinus huic nomên illi est* 59 — *tertius est Tigrîs Euphrati adiunctus* 62 — *largitus dominûs hoc* 195 — *festinoque senê longo qui* 283 — *mittitur in in pelagûs ales* 312 — *Samarus Aradiûs Orusque* 371 — *venatu assuetûs et* 378 — *atque ibi dum gregibûs intercursantibus* 452 — *mox sopita deûs illustrans corda* 501 — *ecce autem primâ sub tempora* 534 — *ecce furens totâ procurrit turba* 642 — *altera disparibûs Ammanum* 678 — *namque*

---

1) in compluribus locis littera *h* quoque valet, quae in posterioris aevi arte metrica consonae vim usurpat, ita ut syllabae breves quas cum consona sequebatur *h* per legitimam positionem productae videantur.

2) littera *qu* iisdem temporibus binarum consonarum instar habita saepius positionem efficit.

domus regîs admissa piacula 700 — *pellibus obtegitûr hirsutum quae* 878 — *nam post optatâ longae commercia* 889 — *ne pater inventâ puniret crimina* 997 — *atque libens fratrê pariter* 1062 — *vita fuit procerîs et* 1103 — *accipit et laetâ praedives pascua* 1112 — *conquestus gravitêr alios* 1352 — *securus geminâ committens pignora* 1359 — *imperat ut laetâ celebrent convivia* 1370 — *exigit ut dictâ portent placitura* 1418 — similiter legitur: *adnuitur iussâque citus veneranda facessit* 604[1]).

c) sub vi caesurae hephthemimeris:

cui deus effatur nonnê vox 159 — *denique descendit dominûs et* 398 — *oraturque deus solâ cum deinde per arva* 427 — *accipit et virides sistît armenta* 461 — *optantes media potiûs habitare platea* 639 — *et famulos, his molle pecûs armentaque* 697 — *Phílistina petit rurâ mox* 815 — *discretis igitur gregibûs haec* 1021 — *verba sibi vatemque forê se* 1086 — *exorat coitum dominâ male saucia* 1191.

syllabas finales longas contra usum urbanum corripuit has:

saepissime *a* finalem quae est in ablativo primae declinationis: *quartă die* 15 — *quintă die* 19 — *sextă pater* 21 — *mixtā geminos substantiă firmet* 36 — *septimă luce* 40 — *donată sibi prudentiă solers* 44 — *multā servabat cură bidentes* 139 — *concessă sibi licentiă fatur* 504 — *infensă tibi de sede* 547 — *iunctā diducens lineă* 695 — *secretă fenestra* 828 — *illă tibi, moneo, de stirpe* 908 — *tertiă iamque die* 1000 — *tertiă luce dehinc* 1075 — *nec spe cassă quidem* 1187 — *promptā susceptum palmă tenebat* 1225 — *claudendos iuvenes custodiă donec* 1329 — *sub cură tuentum* 1331 — *si firmă pater virtute valeret* 1386 — *palmā sacratur laevă Manasses* 1471[2]) — *praesciă mente senis* 1473.

---

1) *at et* primae atque alterius coniugationis syllabas finales saepissime producuntur sub ictus vi. consulto exempla non adnotavi, quod haec productio et principali syllabarum quantitate et Vergilii aliorumque poetarum usu satis excusari mihi videtur.

2) sic hunc versum legimus. cf. pag. 7.

e finalem quae est in imperativo alterius coniugationis: **dimovĕ* 414 — *timĕ* 511.

as finalem accusativi pluralis: *annorum nuntiăs esse* 1270.

semel etiam in nominativo primae: *Iudăs ait* 1166.

es finalem: saepissime in adverbiis numeralibus quae dicuntur, semper ita ut hae voculae primum versus pedem efficerent: *quínquiĕs* 362, 631 — *sexiĕs* 208, 228 — *septiĕs* 212, 221, 781, 1437.

item semel in nominativo sing. tertiae declinationis: *degener herĕs erit* 509.

item semel in nominativo plur. tertiae declinationis: *orbĕs erat vates* 315.

semel *os* finalem quae est in accusativo alterius declinationis: **castŏs in amplexus* 945. Peiperus hic legit *castus in amplexus*, ut metro consulat. sed metri error apud nostrum non tanti valet ut codicum lectionem neglegamus. praebent enim *castos* CG, *castof* A. *in amplexus* CG, *amplexus* A. inde elucet *castos* poetae esse restituendum. nonne in exemplo, quod supra attuli, eadem est metri ratio?

haec hactenus. de elisione et de hiatu iam antea diximus. de versuum constructione et figura quaedam addere liceat. inter hexametri caesuras semiquinariae proxima erat omnibus temporibus nobilitate hephthemimeres. tantum abest ut poetae unam semper et eandem in carminibus caesurae speciem adhibuerint, ut singulis caesuris per vices prolatis et mixtis maiorem elegantiam effecerint. haec erat regula bonis poetis quasi innata. temporibus vero illis cum iam ingenia poetica deficere inciperent, ferreae latinitatis aetate, cum arte ipsa etiam normae interierunt. longo intervallo intermisso, qui tum saeculo quarto et quinto exstiterunt poetae, fabricali quodam studio — Iuvencum, Sedulium, Claudianum, Prudentium excipias — versus compegerunt elegantiae illa lege omnino omissa. fuerunt quidem, qui illorum auctorum pedisequi quodammodo ex versificatorum multitudine eminent. noster vero his adiciendus non est. magnas ei molestias ars versus fingendi praebuisse videtur.

semper fere caesuram penthemimeren protulit[1]). caesurae vero semiseptenariae cui deficiente penthemimere incisio post tertium semipedem accessit, exempla adnotavi in versibus fere MD centum viginti septem, hoc est unum in duodecim fere versibus.

Fortasse iam in hac re investiganda discrimen apparet inter librum in genesin et inter cetera carmina. ac profecto magno nostro gaudio fit, ut omnia metra illa diversam a libro in genesin rationem exhibeant. in exodi versibus fere MCCCC eiusdem speciei hexametri inveniuntur trecenti sexaginta tres. in altero igitur carmine duodecimus quisque versus, in altero iam quartus hanc normam praebet. statim adicio de ceteris metris observantias, quae magis cum libro in exodum faciunt, quam cum libro in genesin. sic in Levitico quartus quisque versus caesura illa duplici praeditus est, in Numero quintus quisque, in Deuteronomio iam tertius, in Iesu Nave octavus quisque. quid inde colligamus? hoc sane affirmare licet carmen in genesin non eadem artis metrica ratione ac disciplina confectum esse, qua cetera heptateuchi metra.

sed revertamur ad propositum et agamus de immutatis rei prosodiacae legibus in libro in exodum et in libro Iesu Nave. quae supra de normis metricis pro temporis ratione inversis diximus, omnia ad carmina nostra quadrant. permulti etiam hic sunt metri errores, permagnus numerus eorum locorum, ubi auctor pronuntiatione volgari utitur. sed singula cognoscas.

syllabas in mediis vocibus

I. produxit:

1) s u b v i a c c e n t u s:

a) initio versus:

cûpitam 61 — *fûturum* 49 — *lâboris* 28, 678 — *pûellae* 107 — *lâteribus* 248 — *mâdentis* 250 — *mâgorum* 274 — *pâternum*

---

1) semel exstat in genesi caesura post tertium trochaeum, quae dicitur, v. 266:

emeruit maiōră || *prăesentibus: atque coactas.*

1018 — *vîdentum* 209 — *pêdisequis* 58 — *sêrenos* 410 — *prôfatur* 598 — *nîvosos* 620 — *cârentis* 699 — *hônorem* 775 — *mâleficum* 927 — *mîsericors* 764, 945 — *îniqua* 956 — *înhaerent* 1095 — *prôpheta* 1132 — *dâbitur* 1167 — *quôd* 166.

Ies. Nave: *nôvorum* 122 — **cohibuit* 352 — *gîgantum* 415 — *înoffensa* 475 — praeterea monosyllaba: *ân* 188 — *sêt* 309 — *ût* 349 — *êt* 445 — *nêc* 509.

addendum est hic de hendecasyllabis: in primo pede, ubi spondeum norma constituta poscit, noster Catulliano more magnam sibi licentiam usurpavit. iambum protulit: *cŭī gloria* ex. 508 — *quĭ ēst* 518 (iambus esse videtur. hiatus enim est constituendus et vocalis ante vocalem corripitur.) — *ĭnīquum* deuteron. 170 — *bĕātae* 171 — *mĕmēnto* 183 — *cŏhǖesit* 198.

trochaeus legitur: *nūllŭs est* ex. 534, — *dōnĕc hic* 540 (nisi forte *h* positionem efficere volumus.) — *cūiŭs eloquiis* deuteron. 166 — *lūmĕn ut* 210 — *mēllĭs et* 217.

b) ceteris metri locis:

altero pede *amêthysto* ex. 1102 — *lĕvîgatis* 1076 (v. 787 eadem vocula legitur correpta prima et secunda) — *vîriles* Ies. N. 17 — *nîvosa* 120 —; quarto *servîtutemque* ex. 453 — *transmêavere* Ies. N. 106 —; quinto *clarîgena* ex. 1129 — *contîgua* 1288 — *cîto* Ies. N. 211 — *sênior* 522 —; sexto *cârent* ex. 53 — *câres* 1298 [1]).

post primum ictum producuntur: *lôcare* ex. 388 — *prôfana* 271, 1156 — *dêinde* 336 — *sêpulta* Ies. N. 210.

---

1) *chorêas* ex. 1206, quod Peiperus illis exemplis adicere vult, ex aliorum poetarum usu defensionem habet; cf. *χορεία*, unde derivatum est. quod praeterea affert *fidêi* ex. 954, Ies. N. 570, vetustae dictionis imitationibus quam productionis spuriae exemplis tribuere malim. hanc enim ipsam formam Ennius, Lucretius, alii eadem prosodia saepissime protulerunt, inprimis sicut etiam noster in fine versus.

2) sub vi caesurae:

a) post trithemimeren:

ex. *cânore* 274 — *cârent* 392 — *dêinde* 418 — *prôfana* 1012 — *prôpheta* 1226;

Ies. *dêhinc* 169 (sed Mayor *extremoquĕ dĕhinc*)[1] — *trôpaea* 293.

b) post penthemimeren:

ex. *nêquibant* 492 — *nîvoso* 1106 — *ôpimam* 153, 157 — *pâternus* 109, 793, 805, 826 — *prôfana* 1310 — *pûtatur* 362 — *sêmentem* 980 — **tôpazo* (τόπαζος) 1098;

Ies. *nîvalis* 52 — *vîdet* 140 (sed legere malim hiatu adhibito *cásurám Hĭĕríchŏ vĭdét*).

c) post hephthemimeren:

ex. *pêtita* 185 — *fîdelia* 690 — *lîcentia* 558 — *lîquentia* 556, 732 — *ômittit* 285, 375 — *pârasceua* 629 — *pêdem* 846 — *sâcella* 929 — *nôvalia* 894;

Ies. *fîdelibus* 523, 557.

accedamus ad syllabas finales. sub ictus vi ac caesurae auctoritate producuntur:

a) ante caesuram trithemimeren:

ex. *immensûs ubicunque* 170 — *germanûs est* 215 — *verberibûs agitur* 253 — *quadrupedûm hominumque* 283 — *viventîs ad* 324 — *quacunquê de stirpe* 356 — *ergo alacrîs in* 426 — *patribûs iterata* 543 — *mansurâ dat iussa* 753 — *dividuâque legant* 877 — *pro pecudê pecudem* 879 — *afflictâ nam corda* 938 — *restituê sol ante* 944 — *heia agitê sanctisque* 1000 — *ne vacuâ sit terra* 1026 — *prophetâ tribuente deo* 1132 — *nativâ dum forma* 1141 — *imperiâ nimium metuens* 1172 — *introrsûs extraque* 1199 — *o dominê quem* 1292;

Ies. *praebetûr his* 115 — *nudatâque suis* 157 — *o dominê quae . . .* 184 — *Cineritûs Arabusque* 379 — *communîs hic praeda* 401 — *quae tribubûs ubi* 482 — *ut vestrâ sit vita deus* 527.

---

1) J. E. B. Mayor: the latin Heptateuch. Lond. et Cant. 1889.

b) ante caesuram penthemimeren:

exod. *devenit Hebraeâ quem dicit lingua* 128 — *quod habeat dominûs ut* 166 — *congestaeque simûl odio solvuntur* 281 — *est ubi vita gravîs etiam* 588 — *torquet adacta manûs aut* 740 — *neve hominem perimê nec sacramentum* 778 — *insonti nullâ domino discrimina* 860 — *sed si persegnîs accepta* 919 — *nec festinus agê trepidantum* 941 — *est permensus itêr ut sitis* 951 — *increscat nimiâ rabidarum turba* 1027 — *ornamenta deûs omnesque* 1127 — *et nunc o dominê quid* 1175 — *his et vota dedît et* 1231 — *et nunc o dominê si* 1232 — *ac ne sollicitâ tangat te cura* 1244 — *irriguoque gemît ob* 1250 — *ut cum vulnificâ populus post bella* 1306 — *sed cum pacificâ domini se ad verba* 1321;

Ies. *cui meritum insignê dominus* 15 — *ut victum populûs et* 22 — *irrumpunt urbîs aditus* 35 — *sidereo ab regê qui terram* 61 — *pascha dehinc colitûr et* 117 — *novorum in mensê senis* 122 — *aequoreos cunctâque dehinc, quae* 186 — *mixta Iebusaeûs Amorraeûsque* 196 — *iungitur Ernadurûs et qui* 381 — *nempe tenes placidûs ut* 433 — *sic fiet ut vestrâ pressentur sub iuga* 478 — *Phineus legitûr Aronis* 485 — *Ephremo in collê fuerat* 574 — *in quibus et membrâ fuerant* 579.

c) ante caesuram hephthemimeren:

exod. *aspicit haec modicam tumidâ super aequora* 60 — *fas cuiquam vultumque simûl atque* 140 — *quamque simul Iebusa colît Evaeaque* 156 — *sed dum saepe deum poscît aliumque* 212 — *orantis per vota senîs ut* 278 — *atque necat cunctumque pecûs et* 313 — *cum subita intereunt mortê* 353 — *otia lenta ferunt curâque omittitur* 375 — *praeponit tolerata priûs et* 449 — *subiectosque regit tacitâ dum ora* 466 — *siccavitque fictum mediûs ut* 482 — *nullâ quem temperet umbra* 591 — *quin etiam cunctis penitûs haec* 633 — *quod videat generanda manûs olimque* 642 — *cum natis servisque colê* 768 — *quae fuerint illata priûs haec* 893 — *meritâ per damna*

recurrit 901 — *decûs auditque iuvatque* 938 — *misericors ego sum dominûs hos* 945 — *nullâ quae dissipet aetas* 1071.

Ies. *idola sectatur populûs et* 171 — *tumidûs ut sternat Amorreus* 188 — *et coram composta ducê* 212 — *confusus cum deinde sonûs ac* 246 — *comês Axinus in armis* 377 — *noritis servanda forê quia* 473 — *qui signa piûs agmenque praeivit* 532.

de syllabis correptis ut agamus, primum rursus afferemus locos ubi vocum prosodia rythmo cessit. quinto enim versus pede collocavit breviatas has:

exod. *libertatis ămissae* 21 — *vitiata fĕtore* 269 — *redhibebit ămissa* 879 — *extinguit ărente* 314 — *lumenque căligat* 138 — *delapsa cŏturnix* 616 — *limata făcundus* 215 — *gramen hўsopi* 401 — *pressoque lătratu* 345 — *peiora lături* 324 — *libertatemque lăturam* 411 — *natosque nătorum* 1300 — **pariterque vădentes* 238 — *in bella vădentem* 674 — *cura vădentem* 1244;

Ies. *prolesque nătorum* 440 — *metata trăduntur* 451.

eodem versus pede diphthongus *ae* corripitur:

exod. *vidit A͝egypti* 9 (praeterea saepissime velut v. 30, 187, 325, 445, 500, 569, 713, 932, 977, 1172 ceteris metri locis salva prosodia velut 185, 755) — *quaerit a͝eternum* 165 (praeterea 257, 723, 1046) — *Pharaonis a͝erumnas* 446 — *cunctisque pra͝eponam* 720 — *Iuda͝ea noscat* 166 — *servique la͝etantur* 377 — *mortemque pra͝esentem* 582 — *numenque pra͝esentat* 1333 — *vitat ha͝erentem* 833 — *sua͝e numen* 1162 — *confecta ma͝erore* 252 — *mannamque ca͝elestem* 607. 612.[1])

1) fortasse in omnibus locis ubi correpta *ae* exstat voces per simplicem *e* scribendae sunt, cum apud Romanos, ut notissimum est, iam satis vetusto tempore diphthongus *ae* sonuerit ferme simplicem *e*. exempla talis scripturae inveniuntur apud Prud. praef. c. Symm. I 5 *cĕremonias*, Luxor. 325, 7 *quĕsumus*, auct. carm. adv. Marcionitas IV 201

Ies. *nomen ăeterni* 312 — *remeate lăetantes* 468 — *parte prăesentas* 127 — *agmenque prăeivit* 532 — *turba măerentum* 182 — *dominumque căelestem* 583.

praeterea corripiuntur in mediis vocibus:

ex. *fĕriata* 29 — *fĭunt* 395, 1283 (*fīunt* 786) — *fĭant* 718 — *hĕres* 542 — *herĕmus* 186, 231 — *idŏla* *757, 1012 — *invĭsitata* 315, 450 — *lĕvigata* 787, 1076 — *marĭtas* 34 — *păcem* 1216 — *părcatis* 163 — *praevăricatores* 1160 — *praepŭtium* 227 — *sapphĭra* 1053 (*us*) 1099 — *temptătionis* 667 — *instităturus* 731 — **noctilŭcis* 1089 — *vĕlent* 203 (sed variat lectio. cod. A *vellint*) — *prăeter* 637 — *dĕmonum* 929.

Ies. *citŏ* 211 — *confĭgitur* 258 — *fĭet* 478 — *fĭant* 513 — *herĕmus* 51 — *idŏla* 171, 503, 548, 582 — *lĭbamina* 515 — *nŏbis* 518 — *ŏratores* 322 — *rĕgum* 399 — *cohăerere* 307.

syllabas natura longas corripuit has:

a finalem ablativi primae declinationis saepissime:

ex. *longă cohortes iam legione ciet* 12 — *sociă cum Sephoră dicta* 35 — *futurum cum formă virum* 49 — *inde alios Iudaeă videt de gente* 86 — *cum cură bidentes* 100 — *Pheresaeă manu* 155 — *eădem cunctae de morte necantur* 280 — *sollicitaque sinus constringunt cură fluentes* 398 — *celsă bellator dexteră pugnat* 465 — *immensăque compede vincti* 493 — *nam quă licentiă fluctus gigneret* 558 — *ratione legendi certă viri* 622 — *septimă quaque die* 634 — *quia cură sagaci* 635 — *quem ferrată manu* 674 — *meă fit quod dexteră clarum* 724 — *tertiă luce* 735 (item v. 743) — *Aegypti de terră tuli* 755 — *coniuge missă simul* 792 — *in plagam porrectă manu* 839 — *usurăque turpi* 940 — *pro cură nocentis* 964 — *de Dană tribu* 1128 — *consuetă tibi pietate*

---

cohĕrere, nec non apud nostrum *dĕmonum* ex. 929, *Iudĕa* Ies. 355 (sic codices A et B). optime de hac re disseruit et plurima exempla quae huc spectant congessit E. Seelmann in libri ‚die aussprache des latein' pag. 183, 190, 225.

faventem 1178 — *caelesti ex pagină dele* 1236 — *umbratus meă dextră mane* 1278 — *nobiscum praecelsă deus virtute maneto* 1301.

Ies. *trină die* 80 — *mixtă phalange* 196 — *concavă valle* 243 — *discretă terra* 292 — *densatăque nube* 389 — *hac pugnă duces* 402 — *quantă vos cură perennis* 470.

a etiam in imperativo primae coniugationis corripitur: *sublevă* ex. 962 — *explică* 1242 — **adlegă* Ies. 439.

e in eadem forma alterius coniugationis: **providĕ* ex. 1010 — *indulgĕ* 1181 — **exhibe* 1182 — **dimovĕ* Ies. 19.

u semel in exodo: *cornŭ ferit quemquam* ex. 857.

es non saepe in his: *pedĕs* Ies. 58, 329 — *sedĕs* Ies. 416.

us in his: *servitŭs* 1187 — **tellŭs* 97 — *salŭs* Ies. 64.[1])

sed finem faciamus huic commentationis capitulo. licet tam magna et varia nobis occurrat similitudo inter libri in genesin et ceterorum carminum, quae inquisivimus, artem metricam, tamen non tantum valet, ut eundem auctorem statuamus. nonne eam ipsam rei metricae tractationem etiam apud alios illorum temporum scriptores invenimus? ut singula obiter tantum afferamus correptio vocalis *a* in ablativo primae declinationis saepissime exstat in carmine adversus Marcionitas[2]), nec non in carmine de evangelio Hilario adscripto[3]). idem

1) Peiperus semel longam *o* finalem correptam esse vult Ies. 479 *cunctis optandŏ poposcit.* hunc locum mendosum esse ratus *optanda* legere malim. primum enim codex B hanc scripturam praebet, cum cod. A *obtando* exhibeat. deinde hic usus *o* finalem in gerundii ablativo quinto versus pede corripiendi a Iuvenco, Prudentio, aliis amatus praeter hunc locum in toto heptateucho non invenitur. postremo lectio *optanda* constructioni ac sensui accommodatior mihi esse videtur quam *optando.*

2) exempla collegit A. Oxé in libro inscripto: ‚prolegomena de carmine adversus Marcionitas' Lipsiae 1888.

3) ed. R. Peiper in Corp. script. eccl. lat. vol. XXIII. p. 270—274, v. 80 *te consonă voce canentes*, v. 88 *picturăque inani.*

vitium neque a Tertulliano neque ab Arnobio alienum esse L. Mueller affirmat[1]). imminutionem vocalis *e* in imperativo alterius coniugationis praeter nostros admiserunt *praecavĕ* Eug. II 5, *arcĕ* Coripp. ioh. V 413, *extorquĕ* Prud. perist. V 60, *percensĕ* Prud. ham. 624. de extenuatione denique diphthongi *ae* ab aliis usurpata iam supra diximus.

1) L. Mueller: ‚de re metrica poetarum latinorum' pag. 341.

III.

Num Cypriano carmina in exodum et in ceteros heptateuchi libros recte sint adscripti?

Iam A. Ebert qui de metro in heptateuchum in libri perutilis *Geschichte der christlich-lateinischen Litteratur* I² pag. 119 verba quaedam facit de hac re dubitare videtur. scribit enim: »*Mir steht nur das Folgende fest. Vom Exodus an gehört das Werk einem Verfasser; die Darstellung in der Genesis hat einen etwas andern Charakter als in den folgenden Büchern und in der Genesis selbst erscheint die grössere zweite Hälfte von weit geringerem Werte als die erste: die Darstellung, immer mehr abbreviierend, wird da zu einer blossen, fast handwerksmässigen Versifikation, während sie in der ersten Hälfte gerade im ganzen Kolorit der in der Historia evangelica am nächsten kommt.*« ac profecto tractationis discrimen tale est ut aliquid offensionis praebeat. sed accedunt etiam argumenta graviora. tres imprimis res plane atque aperte demonstrant eundem poetam totum heptateuchum non confecisse: codices ipsi, qui carmina tradunt, loci ex bibliis sacris petiti, aliorum poetarum imitationes.

1) De codicibus.

Longum est de codicibus ea repetere quae viri docti in editionum prolegomenis copiosissime congesserunt. gravissima tantum hic praemonuisse satis erit. tres imprimis codices carmina nostra tradiderunt, Laudunenses duo saeculi VIIII (A et B) et Cantabrigiensis saeculi XI (C) quibus unus idemque fuit archetypus. genesis quae in codice B desideratur praeterea exstat in codice Parisino saeculi X (G). primum locum tenet codex A cum antiquitate tum quod solus omnes versus ser-

vavit una tantum lacuna admissa. ceteri multis locis truncati sunt. in hac nostra quaestione conferendum est, quid codices illi de auctore carminum tradant. singulorum codicum ad singulos heptateuchi libros superscriptiones et subscriptiones deinceps enumerare opus erit.

in libro in genesin exhibent codices

initio versuum:

A: *Incipit liber geneseos metricus Cipriani.*

C: *Incipit liber genesis feliciter.*

(G hic omittere licet, quia satis constat Iuvenci nomen in superscriptione falso esse ascriptum.)

in fine codicum:

A: *explicit metrum Cipriani super librum genesis.*

C post v. 1183: *explicit liber genesis* ... | *incipit liber Exodus.*

G: *finit genesis, incipit exodus.*

liber in exodum haec praebet

initio codicum:

A: superscriptionem non affert.

C ante v. 294: *explicit liber genesis, incipit l. exodus.*

in fine codicum:

A: *finit liber exodus.*

C: *finit liber exodus, incipit liber Leviticus.*

in libro in Leviticum praebent codices

initio:

A: *incipit liber Leviticus.*

C: *incipit liber Leviticus.*

B a. v. 263: *explicit explanatio libri Exodi.*

in fine:

A: *finit liber Leviticus: incipit metrum super numerum* et postea *explicit metrum super Leviticum.*

B: *explicit Leviticus: incipit metrum super numerum.*

C: *explicit liber Leviticus: incipit liber Numeri.*

ad librum in Numerum codices adnotant

initio: nullus codex superscriptionem praebet.

in fine:

A: *finit metrum super Numerum.*

A. B: *incipit metrum super Deuteronomium.*
C: *finit liber Numeri — incipit Deuteronomium.*

initio libri in Deuterononiium superscriptio ubique desideratur.

in fine:

A. B: *explicit metrum Deuteronomii.*

de libro Iesu Nave hoc adnotandum est. afferunt codices

initio:

A: *incipit metrum super librum Iesu Nave.*
B: *incipit metrum Iesu Nave.*

in fine:

A: *explicit metrum ......*
B: *explicit metrum Iesu Nave.*
C: *finit Iesu Nave — item incipit liber Iudicum.*

de libro Iudicum haec leguntur

initio:

A. B: *incipit metrum super librum Iudicum.*
C: *finit Iesu Nave — item incipit liber Iudicum.*

in fine:

B: *explicit metru de libro Iudicum.*

quid ex hac collatione lucramur? semper tenendum est primum locum tenere codicem Laudunensem A. hic solus ex omnibus codicibus genesis auctoris nomen prae se fert, quod et in superscriptione et in subscriptione conceptis verbis adiecit. in libro in exodum idem superscriptionem non praebet; in fine vero *finit liber Exodus, incipit liber Leviticus.* concludendum est scribam codicis A aut ipsum auctorem libri in exodum ceterorumque librorum non cognovisse aut iam in archetypo nomen auctoris defuisse. profecto ex codicis huius auctoritate carmina posteriora Cypriano libri in genesin poetae non ascribuntur. dicat quispiam scribae supervacaneum esse visum esse auctoris nomen singulis metris praefigere. at in eodem codice ante illa carmina metrum de Sodoma traditum est, quod etiam Cypriano ascribitur adfatim initio versuum *incipit versus Cipriani de Sodoma* et in subscriptione *expliciunt versus Cipriani*

de Sodoma. cur librarius postea in superscriptione et in subscriptione genesis nomen poetae repetivit, in ceteris carminibus omnino omisit? nonne ei persuasum erat, illum Cyprianum haec non edidisse?

alterum argumentum quod hic respiciendum est, codex ipse nobis paravit. teste Peipero codice A haec carmina continentur:

'Metrum Si. Hilarii Pictaviensis episcopis in genesin'.
'Proba de aeptatico'.
'Cipriani de Sodoma'.
'Alcimi Aviti carminum libri I—IV'.
'Dracontii liber I'.
'liber geneseos metricus Cipriani'.
'Alcimi Aviti liber V'.
'metrum de exodo'.
'liber leviticus'.
'metrum super Numerum'.
'metrum Deuteronomii'.
'metrum Iesu Nave'.
'metrum super librum Iudicum'.

qui codicem per libros disposuit, seriem quandam et progressum argumentorum apparere voluit; propterea Aviti librum V ab I—IV separavit. at quare factum est ut inter libros in genesin et in exodum Aviti librum V intercalaret? Aviti enim liber quintus *de transitu maris rubri* inscriptus enarrat res gestas inde a quinto usque ad decimum sextum capitulum libri exodi. metrum vero in exodum etiam quinque illa priora capitula exhibet. ergo mutatis illis Alcimi libro V et metro in exodum iustus argumentorum progressus exstitisset. scriba non sine consilio illum librum inter genesin et exodum interposuisse mihi videtur. metrum de exodo quaeque sequuntur ad Cyprianum non pertinere noverat; item noverat cohaerere exodum cum levitico; ergo leviticus et exodus ne separarentur, huic ille Aviti librum V securus praemisit. quodsi credidisset exodum Cypriani esse, huius nomen sine dubio repetiisset scripsissetque *metrum de exodo Cipriani* perinde atque Aviti nomen repetiit scribens *Alcimi Aviti liber V.*

2) De sacri textus diversitate.

Priusquam ea quae C. Becker in dissertatione et Peiper in prolegomenis editionis monuerunt inspexi, ipse mihi argumenta conquisieram quibus patriam carminum quantum fieri potuit definirem. prae ceteris me non praeteriit textus sacri speciem permagni esse momenti in hac re investiganda. similibus viis et rationibus atque Beckerus usus de necessitudine auctorum et sacri textus generum longe aliter me iudicare confiteor.

C. Becker pag. 33: ‚maxima, ait, similitudine poeta cum Wirceburgensi [1]) codice utitur, contra Ottobonianum et Lugdunensem [2]). minime abhorret a Wirceburgensi magis a Lugdunensi maxime ab Ottoboniano.' haec de codicibus contendit. quod pertinet ad patres maxime consentire illum affirmat cum Ambrosio et Hieronymo ‚magis quam cum Tertulliano et Augustino'. Peiperus Beckero assentitur. quaestiones illorum hunc eventum habuisse non miror cum inde sententiae proficiscerentur, totum heptateuchum uni poetae esse vindicandum.

duo sacri textus genera a nobis perscrutanda sunt, cum codices manuscripti versionis antehieronymianae tum exempla, quae patres ecclesiastici in scriptis protulerunt. ex codicibus huc spectant Lugdunensis, Ottobonianus, Wirceburgensis. de horum patria quaedam praemittere liceat. versionis antehieronymianae reliquias, quae sub nomine Itala comprehendi solent, plerasque ex Africa originem traxisse a viris doctis demonstratum est. exemplaria tamen fuisse sacri textus, quae non inde orta erant, constat. ex nostris codicibus Africanae originis sunt Lugdunensis et Ottobonianus. de codice Wirceburgensi editor Ernestus Ranke hoc pro certo affirmat non Africanae originis illum esse. quae cum ita sint pro duobus codicibus, pro Lugdunensi et Ottoboniano, unum Lugdunensem,

1) Par palimpestorum Wirceburgensium. Antiquissimae veteris testamenti versionis lat. fragmenta e codd. rescriptis eruit Ernestus Ranke. Vindob. 1871. 4°.

2) Pentateuchi versio lat. antiquissima. ed. U. Robert, Parisiis 1881.

qui plurima pentateuchi fragmenta praebet, in usum nostrum conferre liceat.

ac primum quidem inquiramus de condicione quae intercedat inter singulos codices et inter poetam libri in genesin. licet in singulis locis propius poetae verba ad codicis cuiusdam textum accedant, inde concludendum non est, hunc codicem poetae ante oculos versatum esse. copiosiore locorum collatione ultro evincitur, quem codicem poeta secutus sit. atque ego Lugdunensem vel similem codicem nostro praesto fuisse contendo. Beckerus attulit quidem locos duos, ubi noster cum codice illo facit; sed non tanti hoc aestimavit ut aliquid inde ad poetae exemplar eruendum lucraretur. in his vero locis consensus gravissimus apparet poetae libri in genesin cum codice Lugdunensi:

v. 580 *testamenta dei cui sunt concordia summi.*

Lugd. gen. XVII 2 ‚et ponam *testamentum* meum inter me et te’ (sic etiam Augustinus).

870 *maiorem natum ... impellit.*

Lugd. XXVII 3 ‚vocavit filium *maiorem natu*’.

871 *sumat pharetram celeresque sagittas.*

Lugd. XXVII 3 ‚nunc ergo *sume* vasum tuum *pharetram* et arcum’ (sic etiam Augustinus praeter ‚vasum’).

875 *et promptim deferat haedos.*

Lugd. XXVII 9 ‚accipe mihi duos *haedos*’ (sic Aug.).

946 *devolvens lapidem putei qui texerat ora.*

Lugd. XXIX 10 ‚et *devolvit lapidem* ab *ore putei*’.

950 *nec patitur gratis vatem servire propinquum.*

Lugd. XXIX 15 ‚non *servies* mihi *gratis*’.

1028 *transmittere virga, Iordanemque tuum.*

Lugd. XXXII 11 ‚in *virga* enim *transivi Iordanem* istum’ (sic Augustinus).

1037 *stupuit pars corporis illa.*

Lugd. XXXII 25 ‚*obstipuit* latitudo femoris’.

1361 *testatus verba Iosepi.*

Lugd. XLIII 5 ‚per testimonium *testatus est* nobis homo’,

v. 1387 *quem postquam incolumem dixere et vivere recte.*

Lugd. XLIII 28 ‚*recte est* puer ... adhuc *vivit*'.

1396 *victum posuere ministri.*

Lugd. XLIII 32 ‚ponite panes, *posuerunt* ei soli'.

1468 *lentae spondens cacumina virgae.*

Lugd. XLV 31 ‚et iuravit ei super *cacumen virgae*'.

1478 *dat Sichimam gladiumque suo dat spicula nato.*

Lugd. XLVIII 22 ‚*do* tibi *Sichimam* quod accepi in *gladio* meo et *sagitta*'.

statim adicio locos ubi poeta similitudinem praebet cum codice Wirceburgensi:

1236 *trina visus gestare canistra.*

Wirc. gen. XL 16 ‚putabam *tria canistra* hagere'.

1251 *his alias turpes macie subiungere gressus.*

Wirc. XLI 3 ‚devoraverunt *turpes* et *macerae* carnibus alias septem boves bonas'.

etsi paucissima solum fragmenta genesis in codice Wirceburgensi exstant, tamen non ambiguum erit quid de similitudine codicum et genesis poetae concludamus. certe codex Lugdunensis exemplari poetae similior est, quam codex Wirceburgensis. magnopere dolendum est ea ipsa quae hic exhibet fragmenta in codice Lugdunensi desiderari. nam ex singulorum locorum collatione indubia nos de hac re documenta percepturos esse manifestum est. sic vero de poetae sacrae scripturae textu tantum verisimile aliquid proponere possumus. haec de libro in genesin.

de exodo Becker recte constituisse mihi videtur propius accedere poetam ad codicem Wirceburgensem quam ad Lugdunensem. quamquam exstant in utroque codice saepius eadem exodi fragmenta, tamen in usum nostrum hoc non tantum valet, quia ei ipsi loci a poeta aut omnino omissi aut obiter tantum tractati sunt. sed singula perspiciamus.

concinentem videmus codicem Lugdunensem in his:

103 . . . *quas sistere contra*
nequaquam audentes . . . vindicat.

Lugd. ex. II 17 ‚surgens vero Moyses *vindicavit* eas'.

Volg. ‚surrexitque Moyses et defensis puellis'.

1146 . . . *diem sollemnem confore dixit.*

Lugd. XXX 5 ‚*dies sollemnis* domini crastina dies'.

Volg. ‚cras sollemnitas domini est'.

sed abhorret idem in loco hoc:

263 *iamque pius vates bis quadraginta per annos*
pacificam vitam ... terebat.

Lugd. VII 7 ‚Moyses autem erat annorum LXXXIII'.

Volg. ‚erat Moyses octoginta annorum' nec aliter graecus textus, Augustinus.

Wirceburgensis codex facit cum poeta in his:

946 *externis cessate deis maledicere.*

Wirc. XXII 28 ‚*deos alienos* non *maledices*'.

Volg. ‚deos non detrahes'. Aug. ‚deos non maledices'. LXX interpretes: *θεοὺς οὐ κακολογήσεις.*

1224 . . . *circum tria milia caedunt*
quis vicena simul studio quasi milia iungas.

Wirc. XXXII 28 ‚ceciderunt de populo in illa die XXIII milia hominum', LXX *καὶ ἔπεσαν εἰς τρισχιλίους ἄνδρας.* itidem Lucifer Calaritus . . ‚quasi tria milia hominum' necnon Ambr. Opt. Lugd. ‚occiderunt illa die quasi tria milia virorum'. Volg. ‚cecideruntque in illa die quasi viginti tria milia hominum'. pauci codices graeci secundum Rankii adnotationem *εἴκοσι τρεισχιλίαις ἀνδρῶν* servaverunt. merito igitur Becker ex hoc loco concludendum putat poetam libri in exodum cum codice Wirceburgensi maximam habere similitudinem. praeter textum graecum codicum a Rankio adlatorum, quos a nostro auctore adhibitos esse reiciendum est, Volgata versio sola cum codice Wirceburgensi et poeta facit. hanc vero poetae non in manibus fuisse apparet ex his:

286 *his actis cynomia fluit quae musca canina*
dicitur.

Volg. VIII 21: ‚ecce ego immittam in te et in servos tuos et in populum tuum et in domos tuas omne genus muscarum'.

Hieronymus enim legit in graeco textu *κοινομυίαν* pro vulgato *κυνομυίαν*. at versio Italica secundum Aug. quaest. XXVI in exod.: ‚ecce ego mitto in te et in servos tuos et in populum tuum et in domos tuas *cynomiam*'.[1])

620 *nivosos dat manna cibos, qui farre minuto*
sunt coriandra velut.

Volg. XVI 14 ita: ‚apparuit in solitudine minutum et quasi pilo trusum'. Itala quam citat Augustinus: ‚et ecce in facie eremi minutum, tamquam *coriandrum*'.

746 *crepituque verendo*
terribiles sonitus iterat tuba.

Volg. XIX 19: ‚et sonitus buccinae paullatim in maius crescebat et prolixius tendebatur'. Itala quae exstat in Aug. de trin. cum poeta nostro habet: ‚fiebant autem voces *tubae* prodeuntes fortiter valde'.

haec hactenus. ex omnibus quae de codicibus in exodo adhibitis supra congessimus apparere putamus codicis Lugdunensis similitudines non esse eas, ut eum poetae praesto fuisse contendamus. immo vero verisimilius est poetae illum non innotuisse, cum praebeat lectiones, quas poeta ipse simul cum graeco vel cum Wirceburgensi codice contrarias exhibeat.

coniciendum est in ceteris heptateuchi libris eandem codicum rationem esse adhibitam. collationem vero iterum hic instituere non licet. de Levitico enim praestant codices Lugdunensis et Wirceburgensis, at non continua serie, sed ita ut semper fere alter tantum codex locum a poeta uberius tractatum servaverit, et poeta ea ipsa, quae uterque codex simul tradidit, obiter tetigerit. unum vero locum invenimus ubi iterum Lugdunensem codicem Wirceburgensi cedere oportet:

v. 31 . . . . *ne vultur in escis*
aut corvus picave fiant neu buteo furvus
accipiterque sagax aut miluus ore obunco.

---

1) sequor in locis afferendis Sabaterii opus ‚bibliorum sacrorum latinae versiones antiquae seu vetus Italica'. tom. IV. Parisiis 1751.

Wirc. lev. XI 13: ‚aquilam et gryfum et ossifragum et *vulturem* et *milvum* et *corvum*'.

Lugd.: ‚aquelam et vulturium et acceptorem. et grypa et noctubam et his similia et corvum et similia ei'.

in libro in numerum Lugdunensis codex solus adest, in libro in Deuteromium duo codices nihil commune habent. praeterea poeta ipse hos libellos raptim tractavit ita ut collatione locorum instituta vix quidquam ad usum nostrum proficiamus.

constituimus poetam libri in genesin maximam similitudinem habere cum codice Lugdunensi, ceterorum vero carminum textum magis cum codice Wirceburgensi facere. quam sententiam nostram comprobatam esse inveniemus, si patrum testimonia cum poetarum verbis conferimus. ex illis quae initio huius capituli de origine vel patria codicum diximus iam divinare possumus, quorum potissimum patrum ecclesiasticorum sacro textui poetae se appropinquent. poeta sane libri in genesin ad exemplar Augustini prope accedit, cui codicem Lugdunensem notum fuisse a viro docto Robert demonstratum est. ut supra ostendimus, hic codex saepius cum locis ab Augustino citatis consensum ad verbum expressum praebet, ut suspicari liceat, illum patrem nonnumquam ex nostro codice testimonia sumpsisse. contra auctor libri in exodum et in ceteros veteris testamenti libellos, qui Wirceburgensis aut similis codicis vestigia prae se fert, cum Ambrosii vel aliorum patrum Italorum textu maxime congruit.

Becker qui etiam de hac re verba facit sic iudicat: ‚si Augustinum et Ambrosium conferimus cum nostro carmine sine dubitatione omnes Ambrosii versionem similiorem esse ducent quam Augustini'. quod ad librum in genesin pertinet hanc sententiam prorsus refellendam censeo. primum conferamus quae exempla Becker ad sententiam fulciendam protulerit.

gen. 814: *sumat pharetram celeresque sagittas*

Aug.: ‚*sume* vas tuum *pharetramque* et arcum'.

Ambr.: ‚carpe arcum et *sagittas*'.

deinde: 1045: *compellat nomine visi*

Aug.: ‚appellavit Iacob nomen loci illius aspectus dei; *vidi* enim deum' (nec aliter cod. Lugd.).

Ambr.: ‚et appellavit locum *visio* dei'.

denique: 1387: *quem postquam incolumem dixere et vivere recte.*

Aug.: ‚*salvus* est pater tuus, adhuc *vivit*'.

Becker hunc locum ex Ambrosio sic affert: ‚recte est puer tuus ... adhuc vivit'. sed aperto errore, nam secundum Sabaterii adnotationem (in pag. 112) postremum illud ‚adhuc vivit' ex Augustini locut. 170 de gen. desumptum est.

si ex his tribus exemplis concludendum est, uter propius accedat ad poetae nostri verba, certe Augustinum non Ambrosium hunc esse confitebimur. ac profecto non solum locos invenisse nos gaudemus, ubi poeta noster longe abhorret ab Ambrosii versione, sed etiam exempla nos habere, quae belle poetae cum Augustino consensum demonstrant.

Ambrosius aliter atque poeta libri in genesin legit in his:

314 *sescentos . . . et unum*
orbes erat vates, primo iam mense secuto
atque die mensis primo.

Ambr.: ‚in primo et sescentesimo anno vitae Noë primo die mensis imminuta aqua a facie terrae et denudavit Noë tectum arcae'. in graeco: ... *ἐν τῇ ζωῇ τοῦ Νῶε, τοῦ πρώτου μηνὸς, μιᾷ τοῦ μηνός.* Sabaterius adnotat: ‚in quibusdam codicibus et in editione Compl. deest illud *μιᾷ τοῦ μηνὸς*'. id quod ne Ambrosius quidem legisse videtur. noster vero cum graeco locum exhibet.

424 *conscendens montem fractas qui respuit undas.*

Ambr.: ‚et recessit inde in montem contra orientem Bethel'. Volg.: ‚et inde transgrediens ad montem contra orientem Bethel'. graeci quidam legunt cum nostro *ἐν Βαιθὴλ κατὰ θάλασσαν.* valde dolendum Augustinum hos locos non tradidisse.

cum Augustino congruit noster prae ceteris in his:

1071 *illic improbius Dinam Correus amatam.*

interpretes LXX ita: *καὶ εἶδεν αὐτὴν Συχὲμ ὁ υἱὸς Ἐμμὼρ ὁ Εὐαῖος, ὁ ἄρχων τῆς γῆς.* in codicibus vero Alex. et Sar. nec non in editione Aldina non legitur *ὁ Εὐαῖος* sed *ὁ Χορραῖος.* August. quaest. 107 in gen. hunc locum legit: ‚vidit Sichem filius Emmor Evaei princeps terrae Dinam, filiam Iacob’. at cum sententia a nobis proposita optime congruit quod in codicibus octo Augustini loco citato pro ‚Emmor Evaei’ est ‚Emmor Chorraeus’. exemplar quod hanc lectionem praebuerit et ab Augustino et a Cypriano nostro adhibitum esse apparet.

idem efficitur ex his:

1102 *ergo ubi iam tandem bis nonaginta per annos*
vita fuit proceris.

itidem textus graecus nec non Volgata. antiqua versio apud Hieronymum sic: ‚fuerunt autem dies Isaac quos vixit anni centum octoginta quinque’. Augustinus vero quaest. 128 ‚vixit Isaac omnes annos vitae suae centum octoginta’ et quaest. 122: ‚centesimo octogesimo anno mortuus est’.

892 *viscera portabat capta.*

Aug.: ‚venit ille qui ierat ad venationem *apportans* quod pater iusserat’. Volg.: ‚coctosque de venatione cibos intulit patri’.

propius ad Augustini quam ad Ambrosii exemplar accessit poeta praeter locos supra notatos in his:

1171 *tris fundos tris esse dies.*

Volg. ‚tres propagines tres adhuc dies sunt’. Ambr.: ‚tres radices, tres dies sunt’. at Augustinus ad verbum cum nostro: ‚*tres fundi, tres dies sunt*’.

1251 *his alias turpes macie subiungere gressus.*

Ambrosius hunc locum legit: ‚aliae vitulae, visu deformes, ieiunae corpore’. Volg. XLI 3: ‚aliae quoque septem emergebant de flumine, foedae confectaeque macie’. Augustinus hunc quidem locum non servat, sed infra versum 19 legit cum nostro: ‚nunquam vidi tales in toto Aegypto *turpiores*’.

videmus Cyprianum magis consentire cum Augustino quam cum Ambrosio. vice versa in libro in exodum poeta maiorem cum Ambrosii versione affinitatem praebet, quam cum Augustini,

sicut saepius stetit cum codice Wirceburgensi contra Lugdunensem. hunc cum Ambrosii interpretatione contra Augustini consensum Becker recte statuit, sed iusta exempla, quibus hoc firmaretur non protulit. unum tantum exstat. adicio haec:

196 *inde manum sinibus condens candore nivali*
protulit atque iterum tectam deprompsit; at olli
in speciem revoluta suam.

Augustinus hic legit ‚mitte manum in sinum et misit eam et facta est manus eius leprosa tamquam nix. mitte illam in sinum iterum. misit et recepit colorem suum’. similiter legunt editiones Complutensis et Aldina λεπρῶσα ὡσεὶ χιών. vulgatus textus graecus non habet λεπρῶσα. praeter hunc soli cum nostro congruunt de nive sed de lepra nihil dicentes codex Lugdunensis et Ambrosius: cod. Lugd.: ‚inferes manum tuam in sinu tuo (!). et intulit manum suam in sinu suo et protulit eam et facta est manus eius tamquam nix. infers iterum et intulit manum suam in sinu suo et protulit eam de sinu suo et restituta est ad colorem suum’. sed propius ad poetam accedit Ambrosius: ‚manum suam misit in sinum et protulit eam et facta est manus eius sicut nix. iterum misit et protulit eam et erat sicut carnis humanae *species*’.

201 *nec minus obniti vates tenuemque loquellam*
dicere et obstrictam nodis vix promere vocem.

Augustinus hunc locum translatum legit: ‚ait Moyses ad dominum: ‚precor domine non sum eloquens ante hesternam neque ante nudiustertianam diem’ et alio loco: ‚erat ipse gracilis vocis et linguae tardioris’ (ad verbum fere cum Lugdunensi consentiens: ‚gracili enim voce et tardiore lingua ego sum’). at Ambrosius cum nostro: ‚non sum dignus ab hesterno die ex quo coepisti loqui cum servo tuo et *tenui* voce et *tardiloquus* sum’.

842 *ac si forte sui velamen corporis idem*
committit traditque tibi pro pignore nummi
restitue sol ante caput quam condat olympo.

Aug.: ‚si autem pignus acceperis vestem proximi ante solis occasum reddes ei'. Wirc.: ‚quodsi acceperis pignus vestimentum … reddes ei'. Ambr.: ‚quod si acceperis pignus vestimentum … ante solis occasum *restitues* illi'.[1])

Augustini versio uno loco repugnat iis quae poeta tradit:

366 . . *quater centum mundus consumpserat annos*
atque quater denos pariter . . .

Aug.: ‚incolatus autem filiorum Israël quem incoluerunt in terra Aegypto et in terra Chanaan ipsi et patres eorum anni quadringenti triginta'. Hieron.: ‚habitatio filiorum Israel quam habitaverunt in terra Aegypti anni CCCCXXX'. itidem et Volgata. Ambrosius, codd. Wirc. Lugd. hunc locum non servant.

interdum mirus est consensus poetae et Luciferi Calaritani. haec adnotavi exempla:

836 . . . *si forte viris fervebit rixa duobus*

Augustinus: ‚si litigabunt duo viri'. Luc.: ‚si *rixaverint* duo'.

847 *combustaque flammis*
expiat ignis edax.

Aug.: ‚combustionem pro combustione'. Lucif.: ‚*combustum* pro *combusto*'.

954 *non credes narrata tibi quae nulla fidei*
firmamenta iuvant.

Luc.: ‚*non credes* auditui vano'.

963 *innocuum ne sterne virum nam pectore iusto est.*

Volg.: ‚insontem et iustum non occides'.

Luc.: ‚*innocentem* et *iustum* non occides.

968 *munera non sumes … quoniam mox lumina caecant*
sermonesque virum.

Volg.: ‚munera excaecant prudentes et subvertunt verba iustorum'. Lucif.: ‚*munera* enim *excaecant oculos* videntium et pestiferant *sermones* iustos'.

---

1) hic afferendus fortasse est locus

1277 *sub fornice saxi umbratus mea dextra* …

Lugd.: ‚et ponam te in speluncam petrae'. sic etiam Wirceb. August.: ‚ponam te in specula petrae' (vel alio loco ‚in caverna petrae'). Ambros.: ‚ponam te in *foramine* petrae'.

sed exempla accumulare nolo. transeamus ad Leviticum, Numerum, cetera metra. in Levitico non exstant loci ubi et Ambrosii et Augustini versio traditur. in universum hic poeta textum sacrum leviter tetigit, cum vix trecentis versibus totum librum absolverit. neque ex Deuteronomio et Iesu Nave habemus quae hic collocanda sint. ex Numero vero quaedam afferre iuvat quae pro certe indicant Augustini versionem non esse similem exemplari auctoris.

156 *a bis vicenis et quinque adsumitur annis*
et qui servitium iam denis quinquies annis
explevit domini .... vacuus sit.

Aug.: ‚a quinto et vicesimo anno et supra introibunt administrare et a quinquagesimo recedet ab administratione et non operabitur ultra'. item Volg. et cod. Lugd. praeterea testimonia non exstant. qualem hic poeta codicem adhibuit?

276 *sedulus haec vates et cunctis mitior audit.*

Aug.: ‚et homo Moyses lenis valde plus quam omnes homines super terram'. auct. l. de prom. ap. Prosp.: ‚Moyses *mitis* prae omnibus hominibus quae erant super terram'.

470 *enodis nam virga ...*
floruit atque nuces .... prompsit.

Aug.: ‚et ecce germinavit virga Aaron ...'.
Ambr.: ‚*virga* Aaron *nucea floruit*'.
auct. l. de prom.: ‚et ecce germinavit virga Aaron ... et produxit germen, florem germinavit et nuces'.

674 *quam dolor effugiet totus operumque labores.*

Vig. Taps.: ‚non erit labor Iacob neque videbitur labor in Israël'. Ambr.: ‚non est *labor* Iacob nec *dolor* in Israel'. Volg.: ‚non est idolum in Israel nec videtur simulacrum in Iacob' (graecus: *μόχθος οὐδὲ πόνος*).

sed finem faciamus huic quaestiunculae parti breviterque colligamus, quibus de rebus verba fecerimus. in libro in genesin plurima codicis Lugdunensis vestigia invenimus. in libro in exodum paucis quidem locis eundem cum poeta congruere, gravioribus vero quibusdam plane abhorrere cognovi-

mus. magis in hoc libro et quantum fieri potuit in reliquis heptateuchi metris Wirceburgensem codicem obtinere ostendimus. quid inde lucramur? num ab eodem poeta et librum in genesin et librum in exodum — alia carmina hic missa faciamus — scriptos iam putemus cum in altero carmine diversa ab alterius carminis textu sacrae scripturae species appareat? certe unus et idem auctor hac mira ratione in carminibus conficiendis nunquam usus est. quid? nonne idem comprobatum vidimus in patrum ecclesiasticorum textus collatione, qua in altero metro Augustini auctoris Africani, in altero Ambrosii, Luciferi Calaritani scriptorum Italicorum interpretationem similem esse intelleximus? haec textus diversitas dilucide atque aperte demonstrare mihi videtur, et carmen in genesin et libros in exodum, in Leviticum, in ceteros heptateuchi libros diversis auctoribus esse attribuenda[1]).

3) De aliorum poetarum imitatione.

Aliorum poetarum imitationes tertium itineris ducem esse dixi. si eundem auctorem omnia carmina illa conscripsisse volumus ut iidem in omnibus metris auctores eadem semper ratione adhibiti sint postulandum est. videamus num ita res se habeat. primum inter poetas auctores locum in metris nostris omnibus tenet Vergilius pari ubique frequentia exscriptus. praeterea nobis occurrunt classicorum poetarum

1) de Tertulliani aliorum patrum versionibus inquirere hic longum esse puto, praesertim cum Becker hanc materiam iam absolverit pag. 34. 35. idem complures locos attulit ubi poeta cum Volgata facit contra versionem antiquam. haec esse vestigia versionis antehieronymianae, quae Hieronymus in interpretationem recepit, recte explicavit. locus vero qui exstat:

gen. 928 (872) *illi somnum ingens rumpit pavor ossaque ...*

hic adiciendus non est. Becker sic: »Volg. XXVIII 17 ‚.. pavensque' ... Aug.: ‚et timuit'.« neutram versionem poeta secutus est, sed totum versum ex Vergilio mutuatus est qui legit Aen. VII 458:

olli somnum ingens rumpit pavor ossaque et artus.

nomina Lucretii, Horatii, Ovidii, Silii, Iuvenalis. sed hos missos faciamus et accuratius Claudiani imitationes poetae apud auctores sequioris illius aevi amatissimi perlustremus.[1])

iam Peiperus[2]) et Beckerus[3]) vestigia eius in carminibus nostris invenere. sed celerius ea praetervolaverunt. nam fieri non potuit quin eos diligentius in hanc rem inquirentes fugeret diversitas et carminis in genesin et ceterorum metrorum, qualis in imitando Claudiano sine dubio est agnoscenda.

rem ita agamus, ut deinceps imitationes Claudianeas afferamus, iis exemplis, quae Peiperus in indice non exhibet, crucis signum adpingentes.

in genesi inveni haec:

† 56 *secat meatus,* Cl. XV 223 *secuere meatus.*

† 84 *nulla maculatum nube serenum,*
Cl. XVII 208 *nulla temeratus nube serenum.*

† 120 *surget pro germine,*
Cl. XLIV 23 *nec semine surgit.*

† 155 *elidit geminis pia guttura palmis,*
Pseudoclaud. laus Herc. 58 *corripis exiguis mox grandia [guttura palmis.*

357 *postquam iam mente serena,*
Cl. VII 182 *qui mente serena.*

† 443 *proturbat regem,*
Cl. V 476 *regem proturbat.*

† 527 *torva cum fronte iuvencum,*
Cl. VIII 518 *quam torva voluptas frontis.*

† 866 *hinc inter medios surgit discordia fratres,*
Cl. XV 236 *in fratres medio discordia Mauro nascitur.*

955 ... *quo sensim lana colores*
dividuos raperet virgarum perlita succo,
Cl. III 207 *rapiunt sibi vellera sucos.*

---

1) ed. Ludovicus Ieep, Lipsiae MDCCCLXXVII in aedibus Teubneri.

2) cf. prooemii pag. XXV.

3) cf. l. c. pag. 37.

998 *digressus victo conscendit flumine collem.*
Cl. VII 46 *ascensu vincere montes.*
† 1204 *compellat voce maritum,*
Cl. XXXVI 113 *compellat voce Cybeben.*
† 1216 *cogitque occulta fateri,*
Cl. XXXV 304 *cogentur vitae commissa fateri.*
1237 *regificis dapibus lautoque impleta paratu,*
Cl. V 340 *atria regifico iussit splendere paratu.*
† 1275 *tellus sitientibus arida venis,*
Cl. XVIII 115 *qualis sitientibus arvis, arida seges.*
† 1413 *vates discedere cunctos imperat,*
Cl. VII 142 *cunctos discedere tectis dux iubet.*

ex exodo et ceteris carminibus adnotávi haec:

† ex. 2 *surgit de germine,*
Cl. XXXXIV 23 *nec semine surgit.*
† 10 *talibus effatur,*
Cl. III 85 *effatur talia.*
† 48 *conspicuisque genis,*
Cl. XXVIII 560 *conspicuas genas.*
† 68 *imperat acciri,*
Cl. XXXIII 77 *imperat acciri.*
† 72 *puer prorepsit ad annos,*
Cl. VII 22 *reptasti per scuta puer.*
† 87 *dum se sedulus offert,*
Cl. XVIII 365 *sese poscentibus offert.*
† 90 *quid celsa cervice tumes ceu principis alti,*
Cl. V 344 *iam regale tumens et principe celsior ibat.*
152 *magnarum largitor opum,*
Cl. VIII 118 *magnarum largitor opum.*
† 242 (758, 1011, 1169) *dominum subnixus adorat,*
Cl. XXII 72 *dominum submissus adorat.*
† 347 *posita formidine saevi,*
Cl. XXIV 282 *posita ludat formidine pastor.*
† 357 *horrisonas voces,*
Cl. III 85 *horrisonis dictis.*

† 363 *comitantur euntes,*
Cl. XXVIII 321 *comitatur euntem.*
† 438 *ferratos lucere viros,*
Cl. XXVIII 571 *ferrati venere viri.*
† 455 *squalentes inter campos,*
Cl. XVIII 244 *squalent popularibus agri.*
† 457 *nulla rerum formidine victus,*
Cl. VIII 457 *victum sola formidine.*
474 *o nimium felix celsis cui misit ab astris*
munimenta deus candens cui militat aether
et coniuratae veniunt ad proelia noctes,
Cl. VII 96 *o nimium dilecte deo cui fundit ab antris*
Aeolus armatas hiemes cui militat aether
et coniurati veniunt ad classica venti.
† 581 *quam spiritus ardens,*
Pseudocl. laus Herc. 122 *ardet spiritus.*
† 739 *cum missile telum torquet,*
Cl. XV 437 *cum missile torserit.*
† 744 .... *iam magnus ab astris*
auditur fremitus,
Cl. XXXIII 9 .... *iam magnus ab imis*
auditur fremitus.
† 774 *viget ille dies ... semper honoratus,*
Cl. I 261 *semper honoratus .. iste dies.*
† 855 *gaudens cervice iuvenci,*
Cl. XXXIX 30 *gaudet cervice iuvenci.*
861 *lunata fronte ferire,*
Cl. XXXIII 129 *lunatae germina frontis.*
† 1005 *calido complectitur axe,*
Cl. I 37 *calido in axe.*
† 1033 *vitreis praelucidus undis,*
Cl. XLIX 32 *vitreis lucidus vadis.*
† 1060 *aequa lance noscant,*
Cl. XLIX 75 *pari lance rependens.*

† 1151 *exsultantes choreas,*
Cl. XXI 84 *exsultasse choreis.*
† 1286 *incomitatus adit,*
Cl. VIII 444 *incomitatus adit.*
† Lev. 267 *pax tranquilla manet,*
Cl. XLVIII 45 *pax animo tranquilla datur.*
† Lev. 290 *attollent rutilos crines,*
Cl. XXI 38 *duxisset rutilantes crinibus alas.*
† Num. 207 *semper honorata,*
Cl. I 261 *semper honoratus.*
† Num. 613 *stricto mucrone micantem,*
Cl. XV 166 *emicat stricto mucrone.*
† Num. 626 *compellat voce prophetam,*
Cl. XXXVI 113 *compellat voce Cybeben.*
† Num. 648 *unde rubet ventura dies,*
Cl. XLIV 5 *unde rubet ventura dies.*
† Num. 732 *sontesque vago mucrone secutus,*
Cl. VII 55 *Scotumque vago mucrone secutus.*
Num. 772 *sublimem sumpsit honorem,*
Cl. XXII 325 *sublimem Brutus honorem.*
Ies. 130 *aethere nunc veni totis cui militat astris,*
Cl. VII 97 ... *cui militat aether.*
† Ies. 371 *successu laeta secundo,*
Cl. XLVI 10 *successu laeta resurgit.*
† Ies. 396 *omnia caede madent,*
Cl. XV 181 *caede madens* ...
† Ies. 407 *unde rubet venientis flamma diei*
Cl. XLIV 5 *unde rubet ventura dies.*

nonne gravissimum apparet discrimen? Cyprianus noster genesis auctor Claudianum poetam non respuit quidem sed in imitando non ultra terminum debitum progressus est neque quasi ex fonte hauriens plurima, quibus versibus suis elegantiae decorem adiungeret, a Claudiano arcessivit; denique non magis a Claudiano pendet quam iusto modo fieri potuit. num eadem modestia in ceteris metris intellegitur? minime. nam abiecta

omnino illa temperantia scriptor ille incertus Claudianum non solum adhibuit, ut ipsius versibus passim colores Claudianeos misceret, sed eo imitationis processit, ut saepissime hemistichia vel semel complures deinceps versus (exod. 474) ad verbum fere exscriberet. singula exempla modo perpende et pondera: senties quid inter modestiam et impudentiam intersit. num eundem iam auctorem statuendum putemus et horum carminum et genesis, cum tanta exstiterit diversitas? haec mira res aliter explicari non potest nisi ita ut genesin scriptori exodi abiudicemus. mirum enim sane fuisset si auctor, qui tot sententias, hemistichia in altero carmine ex poeta quodam mutuatus est, ex eo ipso fonte in altero eiusdem generis carmine et rarius et multo cautius hausisset.

tertio igitur comprobatum videmus quod iam ex codicibus ipsis et ex collatione sacri textus cognovimus, librum in genesin non ab auctore metrorum in exodum, Leviticum, Numerum, Deuteronomium, Iesu Nave, Iudices esse compositum.

IV.

De poetarum patria et aetate.

1) De patria.

Ex duabus rebus Becker nec non Peiper, et ex generis dicendi specie et ex sacro textu, constituerunt Gallicano homini carmina esse vindicanda quam patriam Lucianus Mueller iam pridem ante hoc tempus coniciendam existimabat[1]). nos qui ostendisse putamus carmina non ab eodem auctore esse confecta in Gallia certe librum in exodum et cetera metra orta esse persuasum habemus. libro vero in genesin iterum non eandem atque ceteris poematis patriam tribuimus sacri textus diversitate commoti. nam in diversis regionibus diversas sacrae scripturae versiones praevaluisse constat. hanc de patria quaestionem accuratius instituamus.

in commentationis parte quae huic antecedit ostendimus scriptorem libri in exodum exemplar sacri textus secutum esse, quod non in Africa ortum est, proximeque ad Ambrosii versionem illum accessisse. per se probabile est auctorem suae regionis exemplar adhibuisse. ubinam maiore gaudebat auctoritate illius patris interpretatio quam in ecclesia Mediolanensi, in Gallia cisalpina ac forte in universa Gallia? eodem ducunt cantica illa in exodum inserta versibus hendecasyllabis composita, quam poeseos speciem in hac terra usitatissimam fuisse ex Sidonii, aliorum poetarum Gallorum reliquiis videmus[2]).

Becker libro in genesin, cum ab eodem auctore hunc confectum esse putaverit, eandem patriam vindicat. iam ex genere

---

1) in Mus. Rhen. XXI. 123. 266.

2) cf. Teuffel, Geschichte der römischen Litteratur ed. IV. pag. 1101.

dicendi hoc concludendem esse uberiore tractatione demonstrare conatur. sed mea quidem sententia nihil ostendit nisi hoc unum, librum in genesin propter generis dicendi speciem Africae non esse tribuendum. de hac linguae latinae dialecto certa documenta cognovimus unde exorsi originem Africanam libri cuiusdam nobis probare licet [1]). sed de latinitate Gallicana nihil certi scimus. ex tali vocularum et scriptorum collatione patriam eruendam esse — dummodo Africam excipias — prorsus reiciendum censeo. ac mihi quidem etiam persuasum est Africam non esse patriam carminis nostri, etsi ea quae de sacro textu supra diximus Africanum auctorem indicare videntur. sed in carmine ipso certa latinitatis illius vestigia inveniuntur tantum pauca, quae ex bibliorum textu irrepsisse facile cogitari potest [2]). Galliae repugnat sacri textus genus. reliquae sunt Italia ipsa et Hispania. ut hanc patriam poetae constituamus nulla re adducimur, Italiae vero auctorem vindicare probabilius nobis esse videtur. argumentum quod maxime hanc patriam commendat percipiendum est ex imitatione auctoris illius aetatis Faltoniae Probae, quae centone Vergiliano selectas quasdam res et ex vetere et ex novo testamento desumptas illustravit [3]). in ea particula, in qua tertium genesis capitulum narratur, apud hanc et nostrum eadem fere verba leguntur sic:

67 *ramo frondente creavit,*
Pr. 176 *ramo frondente pependit.*
77 *felicia germina mali,*
Pr. 148 *ramis felicibus arbor.*
92 *cognoscunt sonitum,*
Pr. 221 *visus adesse pedum sonitus.*

---

1) optime de hac re disseruit C. Sittl in libro: die lokalen Verschiedenheiten der lat. Sprache. Erl. 1882.

2) certe hic notandus est usus voculae *namque*, particulae adversativae loco apud nostrum positae. si hanc vim voci vindicamus in versibus 1093. 1141 melior sententiarum contextus efficitur.

3) ed. Schenkl: Corpus script. eccles. latin. vol. XVI. Vindobonae MDCCCLXXXVIII.

95 *affatus tremisco,*
Pr. 235 *vocemque tremisco.*
120 *nam tibi triticeae surget messis,*
Pr. 258 *at si triticeam in messem.*
121 *carduus et spinis multus paliurus acutis,*
Pr. 256 *carduus et spinis surget paliurus acutis.*

necessitudo negari non potest; alterum alterius narrationem ante oculos habuisse apparet. dubitari non potest uter utrum imitatus sit. Probam omnes fere versus ex Vergilii operibus sumpsisse constat ad quae omnes centones Vergilianos referri oportet. eam colores illos Vergilianos ex nostri versibus hausisse cogitari non licet. nec magis verisimile est nostrum ultro in easdem locutiones per Vergilii carmina passim dispersas illis ipsis locis incidisse. ex Probae profecto centone, ubi has omnes in uno loco compositas invenit, eas mutuatus est. fortasse etiam artiorem conexum indicant inter utriusque poetae carmina vestigia Vergiliana haec, quae pariter leguntur:

Pr. 87 *quae sint quae fuerint quae mox ventura trahantur,*
1419 *quae sint quae fuerint quae mox ventura ferantur.*
Pr. 133 *olli somnum ingens rumpit pavor ossaque,*
928 *illi somnum ingens rumpit pavor ossaque.*
Pr. 285 *adolet dum altaria taedis,*
326 *adolet dum altaria flammis.*
Pr. 125 *dulci declinat lumina somno,*
912 *dulci declinat lumina somno.*
Pr. 168 *inter odoratum,*
1366 *inter odoratos.*
Pr. 229 *nec revocare gradum,*
1355 *sed revocare gradum.*
Pr. 160 *ecce autem primae sub tempora,*
534 *ecce autem prima sub tempora.*
Pr. 406 *qua sol utrumque recurrens ... aspicit,*
464 *quam sol utrumque recurrens ... aspicit.*
Pr. 423 *per varios casus,*
539 *per varios casus.*

Pr. 515 *eripe me his invicte malis*,
1032 *eripe me his invicte malis.*

de Probae tempore aliquid certi traditum est. Adelphius enim maritus eius anno 351 urbi praefectus erat[1]. itaque errare nos non putamus, si in altera quarti saeculi parte centonem conscriptum esse constituimus. Proba certe in Italia, fortasse Romae floruit. poetam nostrum, quem non ita multo post illum aevi terminum poema in lucem protulisse postea demonstrabo, in Italia vel in urbe ipsa carmen confecisse existimo. centones enim Probae certe non ea vigebant celebritate, ut satis angusto temporis spatio per totam Italiam, ne dicam per alias provincias, divulgarentur. ubi poeta noster hoc opus facilius cognoscere potuit quam in patria eius? fortasse ipse inter amicos et familiares Probae versatus est. sed argumenta quae hanc sententiam firment, non habeo. nec repugnare mihi videtur sententiae de patria propositae sacrae scripturae species quae magis Africanam quam Italicam indolem prae se fert. fuerunt certe ubique latinae versiones, sed nulla earum tanta gaudebat auctoritate quam Africana illa ab Augustino Itala nominata. ac primum quidem in Africa ipsa hoc factum est. in Italia vero eandem receptam esse dubitari non licet, praesertim cum magnum commercium respiciamus quod omnibus temporibus Italiae cum Africa erat. talem versionem ex Africa in Italiam transmissam noster in libro in genesin adhibuit.

2) De poetarum aetate.

Primum de aetate Cypriani genesis poetae agamus, quam ex aliorum poetarum imitationibus certis terminis circumscribere licet. terminus post quem floruerit ex Claudiani imitatione evincitur. ex locis quos supra congessimus, prae ceteris illi

---

1) cf. O. Seeck: Q. Aurelii Symmachi quae supersunt. Monum. Germ. hist. tom. VI. 1. pag. XCI.

respiciendi sunt, quibus Cyprianus ex panegyrico in consulatum Mallii Theodori et ex libro in Eutropium I hausisse videtur. omnium enim carminum Claudiani, quae Cyprianus in genesi in usum suum convertit, haec duo novissima sunt tempore. Mallius Theodorus consulatum iniit anno 399, eodem anno Eutropius. post hunc ergo annum genesin confectam esse dixeris. sed enim etiam pseudo-Claudianeum Laudem Herculis Cyprianus imitatus esse videtur; hoc autem carmen ipsum quoque ex Claudiani lectione suspensum est. ergo ne id quidem in temporis definitione neglegere licet. annum 425 terminum esse, ante quem Cyprianum scripsisse opportet, Beckerus rectissime ex Claudii Marii Victoris[1]) imitatione conclusit, qui in carmine, quod alethia vocatur, plurima ex Cypriani genesi mutuatus est[2]). idem anno fere 400 carmina composita esse vult. quod ad genesin attinet, propter imitationem Claudiani et Laudis Herculis hunc terminum protelare et annum 410 proponere malim quo fere tempore Cyprianus genesin ediderit. denique inter annos fere 404 et 410 Laus Herculis scripta esse dicenda erit.

difficilior est quaestio de carminibus incerti in exodum et in ceteros veteris testamenti libros. serius ea in lucem prodiisse iam per se probabile est. auctor enim incertus tractationem poeticam librorum veteris testamenti a Cypriano institutam porro tractavit et usque ad Iudices absolvit. quando vero scripserit certe dici nequit. hoc saltem affirmare licet. insunt in iis vestigia Claudiani ex carmine de VI. Honorii consulatu desumpta, quod anni 404 initio ab auctore recitatum esse constat. ergo post huius anni initium metra illa conscripta sunt. sententiam a Beckero de carminum aetate commendatam reiciendam esse hinc elucet. nec minus ex imitatione Claudii Marii Victoris tempus ante quod poeta scripserit derivandum est, cum car-

---

1) ed C. Schenkl in corp. script. eccles. lat. vol. XVI. 1.

2) plurima exempla congessit Beckerus in dissertationis pag. 39. 40.

mina non ad Cyprianum referenda esse cognoverimus. sed errare nos non putamus si iam quinto saeculo auctorem floruisse constituimus, quae opinio et sacri textus genere et canticis hendecasyllabis phalaeceis compositis, quae poesis species inprimis omnibus fere illius saeculi poetis Gallicanis in deliciis erat, maxime commendatur. certum vero annum nos definire non posse confitemur.

VITA.

Natus sum Hermannus Philippus Best anno MDCCCLXVIII mensis Augusti die tertio patre Adamo matre Susanna Maria e gente Schmidt, quos adhuc superstites magnopere gaudeo debitaque prosequor pietate. confessioni addictus sum evangelicae. gymnasium adii Crucenacense. vere anni MDCCCLXXXVII maturitatis testimonium adeptus ad almam matrem Gryphisvaldensem volavi ubi per bis sex menses studiis operam dedi philologis et historicis. hic docuerunt me viri clarissimi Haupt, Kiessling, Maass, Rehmke, Susemihl, Ulmann, Zoeckler. deinde profectus sum Marpurgum Chattorum, qua in universitate per quinque semestria scholas adii professorum spectatissimorum et doctissimorum Birt, Cohen, Fischer, Juelicher, Lehmannn, Lenz, Natorp, Niese, Schmidt, Wissowa. per duo semestria exercitationes proseminarii philologi, quibus Wissowa tum praeerat, frequentavi. in seminarium deinde insigni Leopoldi Schmidtii et Theodori Birtii benevolentia sum receptus eiusque fui sodalis per ter sex menses. proseminario historico et seminario ut interessem benigne concesserunt Maximilianus Lenz et Benedictus Niese. quibus viris omnibus gratias ago semperque habebo quam maximas, praecipue autem Theodoro Birt qui prae ceteris fautor studiorum meorum adiutorque extiterit.